

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-119201541511222-216810469-10/fragment/page=0002



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-119201541511222-216810469-10/fragment/page=0004

HAGGAEVS PROPHETA.

IN QVEM ACCESSIT LU-culentissimus Commentarius ex publicis D. Ioannis Iacobi Grynæi, in Academia Basilienſi Theologiæ professoris, prælectionibus collectus, & nunc primùm ab eodem in lucem editus.

Additus est Index, ex quo harum prælectionum quanta sit vtilitas, apparet.

U 201



GENEVÆ,
APVD EVSTATHIVM VIGNON.
M. D. LXXXI.



ILLUSTRI ET INCLYTO

DOMINO D. HVLDRICO

Fuggero, Kirchbergæ & Vveißenhornæ

Domino, eruditorum Patrono,

S. D. P.

DVLCISSIME dictum est à Filio Dei, Iesu Christo Domino nostro: *Beati qui lugent: quoniam ipsi consolationem accipient.* Mat. 5.4. Quum enim vbique gentium pias mentes, Ioſephi contritio, hoc est, miserabilis Ecclesiæ Christianæ senio iam confectæ, & lugentis militiæ suæ tristissima fata, mirum in modum afficiat: quæ res ingentem illum dolorem exasperent, & quæ ei medeantur, studiosè nobis omnibus cogitandum, & ea dolorum remedia, quæ cuique nostrûm aperuit Spiritus Christi, ad vsum piorum proferenda sunt.

Erit itaque æquitatis & humanitatis piorum, ea quæ de Ecclesiæ & singulorum piorum doloribus, déque illorũ antipharmacis dicturus sum, optimam in partem accipere, cùm & vniuersa piis

ad canonem diuini verbi exigenda proponam: & omnia quidem probari & examinari, bona autem sola, quæ amussi diuinæ Scripturæ respondent, recipi velim.

In eo vehementer erramus, quòd Euangelij Iesu Christi crucifixi, & crucis seu afflictionum diuortium mundo huic nimium addicti, comminiscimur & cupidè requirimus: & infirma fide mundum hunc, & ea quæ in eo sunt, superare possumus. Fatemur nobis gloriandum in Deo viuo & omnipotente: sed interim requirimus Principum & Procerum gratiam, suffragia, patrocinium. His si carendum sit, propemodum [illegible]e de Christi regno, putamus. Quid nobis neget mũdus, quid polliceatur, suspensis animis obseruamus: quid interim agat Dominus Deus noster: quomodo ex malis nostris bona mirandis modis efficiat: quo pacto hostium opera nobis benefaciat: quàm bono & salutari consilio terrena nobis subtrahat, vt substituat celæstia & æterna, nõ nisi sæpius à Spiritu sancto & eius organis admoniti, tandem animaduertimus.

Quid aliis de errorum & imaginationum istarum fonte videri possit, quum non plenè mihi videar assequi, illud ingenuè bonáque aliorum pace profitebor, quod mihi, cum Canone diuinitus præscripto res nostras conferenti, maximè consentaneum semper est visum.

Omnium

Omnium malorum & dolorum, quibus iusto Dei, summè iusti & summè boni, iudicio laboramus, præcipua causa est, fidei nostræ imbecillitas: quæ facit vt mundum hunc, & ea, quæ in eo sũt, gratiam videlicet eius, opes, gloriam & μεγαλη φαντασίαν vincere non possimus. Sed tamen vt fidei infirmitas facit, vt consolatione egeamus: sic eiusdem πληροφορία efficit, vt consolatione vera & multiplice abundemus.

Non satis perpendimus id, quod tamen nunquam non in ore habemus, videlicet, in Deo nos viuere, esse & moueri. Dei opus nos esse: Deo nos esse [illegible]um viuum & omnipotentem esse, eum, qui non solùm generis humani, sed etiam Ecclesiæ & singulorum fidelium præcipuam habeat rationem. Itaque Monarcharum offensas, Principum piorum afflictiones & obitum, hominum ingenia mutabilia sic metuimus, ac si penes illos, non autem penes Deum, esset arbitrium & potestas omnis.

Ac tametsi Christum regnare audimus in medio inimicorum suorum, Psal. 10. 2. quia tamen cuncta eius opera fiunt inter media contraria, ægrè tandem nos eò adduci patimur, vt nobis persuadeamus, etiam grassantibus eius hostibus, veritatem & eius testes ἐν παῤῥησίᾳ νικᾶν: Christi regnum aduenire & efflorescere, hostes Christi sic

è medio tolli, vt alij repentino, alij lento interitu ſuo, Deum iudicem eſſe totius terræ, teſtentur.

Audimus etiam Spiritum ſanctum, Conſolatorem eſſe optimum, quòd ei mens Domini ſit perſpecta, quòd ſolus ſit idoneus, de propitia Dei erga nos voluntate teſtis. Sed interim, in homines & eorum conſilia & pollicitationes anxiè reſpicimus, quaſi in his maius præſidium nobis eſſe poſſit, quàm in illo Spiritu, qui vniuerſa moderatur.

Quotus autem quiſque eſt, qui ſe Eccleſiæ mẽbrum, conciuem Sanctorum, domeſticum Dei eſſe toties eóque ſtudio gratuletur, [illegible]ies & quo ſtudio opus erat, & hominis Chriſtiani gratitudo poſtulabat? Non loquar iam de iis, qui ſunt putrida Eccleſiæ membra. Quàm multi noſtrûm, vocationis, regenerationiſque & iuſtificationis beneficia, non ita, vt par erat, magnificimus, vt nunquam non ſit nobis opus religioſa exhortatione piè docentium?

Exhorreſcimus quum mortis mentio facta eſt, quum interim gloriemur nos credere carnis reſurrectionem & æternam vitam. Vt ſummatim plurima complectar, non hoc nobis cordi eſt, vt afflictionum Chriſti baptiſmo, ipſi quoque baptizemur, & vt è calice perpeſſionum eius bibamus: ſed vt regnanti Chriſto à dexteris & ſiniſtris ſublimes & glorioſi aſſideamus, eóque tempore, quod

quod militiæ & ærũnis diuinitus præstitutum est, triumphemus & felicissimam agamus vitam. Accedit & alius, & quidem maximus error, quòd in delectu bonorum & malorum hallucinantes, testes veritatis infelices esse putamus, quum odio huius mundi laborent: vastatores autem Ecclesiæ & veritatis perduelles, felices, quòd in aulis Regũ molliter & delicatè viuant, & impunè, vt videtur, Ecclesias & earum fideles seruos persequantur, habeantúrque interim ab imperitis pro columnis Ecclesiæ.

Enimuerò, quum pios, vt ad incendia restinguenda, sic dolores animorum leniendos, summa fide studióque eniti & contendere æquum sit: quibus rationibus dolores (quos annis iam aliquot propter Ecclesiæ afflictiones, publicas & priuatas, sustinui: quibus etiam acerbiorem mortis meæ, animulæque è corpusculi huius ergastulo migrantis sensum, nequaquam fore, persuasum habeo) mitigare studeam, eo ordine exponam, quo fidei nostræ canon, Symbolum dico Apostolicum, conscriptum esse video.

1. Initio Creationis beneficium perpendo, ac quum læter mihi per gratiam datam credere in Deum Patrem omnipotentem, cæli & terræ creatorem, vberrimos multiuariæ consolationis fructus me percipere sentio.

Intelligo enim adhuc operari Deum, Ioan. 5.

17. Per ipsum nos omnes viuere, moueri & esse. Act.17.28.nos ipsi curæ esse.1.Petr.5.7. capillos capitis mei omnes numeratos esse. Matt.10.30. hominis esse præparationes cordis,sed à Iehouah esse responsionem linguæ.Pro.16.1. Itaque quum aduersa & secunda,vitam & mortem, amicorum beneficia & inimicorum iniurias Diuinitus moderari persuasum habeam, æquo animo aduersa,moderato gratóque secunda ferens, cum Iobo dicendum existimo: Si bona à Deo suscepimus, mala cur non susciperemus? Iob.2.10. Vt enim bona, sic etiam mala, propitio Dei consilio, magno meo bono euenire, eósque v[illegible]errare statuo, qui ex aduersis θεοπέμπτοις, nullam ad nos vtilitatem redire putant.

Etsi autem ex animo mihi dolent multiplex cõfusio rerum humanarum & Imperiorum: perturbationes & vastationes Ecclesiæ: exilia piorũ: hypocritarum successus, qui ferè piis perniciem adferre solent: tamen, vt malorum istorum culpam maleferiatis hominibus acceptam fero, sic Deum iis benè vti ad suam gloriam, nostrámque explorationem,nihil dubitans, illud Dauidicum repeto:*Obmutui:non aperui os meum: quia tu fecisti.* Psal.39.10.

Fieri nullo modo potest, vt mens pia intuens primùm quidem Ecclesiarum & Academiarum quarundam deformationes & ταραχὰς,exilia piorum

rum Miniſtrorum, hypocritarum quorundam techinas, ſucceſſus, delicias quas ſibi è piorum miſeriis iam faciunt, & alia publica & priuata ἁμαρτήματα ſummorum & infimorum quorundam hominum: deinde verò Pontificiorum iſta omnia cupidiſſimè ſpectantiũ ὑπερεσχαίαν, & ſpem vanam de Antichriſtianiſmi reſtitutione: tranquilla & pacata reddi poſſit, niſi ad Deum, vniuerſa propter ſemetipſum operantem, etiam impium ad diem malum, Pro. 16.4. conuerſa, cum Dauide dicat: Itaque cogitaui de hoc ſciendo: ſed moleſtia fuit in oculis meis: *Donec ſum ingreſſus in Sanctuaria Dei, & intellexi nouiſſima eorum.* Certè in lubricis ponis eos: deiicis eos in præcipitia. Pſal. 73. 16. 17. 18.

Cui etiam ſumma cum gratitudine iſthæc Halcyonia, & hoſpitia piorum doctorum & diſcentium, in aliquibus Europæ prouinciis, accepta feremus, quàm Domino Deo noſtro, cui olim dicebat idem Pſaltes: Paras in conſpectu meo mẽſam, coram hoſtibus meis: impinguas oleo caput meũ, calix meus exuberat? Pſal. 23. 5.

2. Redemtionis beneficiũ ſecundo loco conſiderans, gratias ago Domino noſtro Ieſu Chriſto, θεανθρώπῳ, pro nobis crucifixo & reſuſcitato: qui ſedet ad Dei Patris omnipotentis dexteram, dat hominibus dona, intercedit pro nobis, & è cælis venturus eſt, ſuo tempore, ad iudicandum

viuos & mortuos.

Scio enim eum nobis adesse, & adfuturum Ecclesiæ suæ vsque ad consummationē seculi. Matt. 28.20. Et quum sit verax & ipsa veritas: omnipotens & ipsa omnipotentia, persuasum habeo, non relicturum nos orphanos, Ioan. 14.18. vitam æternam nobis ab eo datam, non perituros nos in æternum, neminem nos rapere posse è manu eius. Ioan. 10.28.

Si non concorpores ei facti, membra essemus corporis eius, ex carne eius, & ex ossibus eius. Eph. 5.30. Si non cum eo plantati coaluissemus, conformatione mortis & resurrectionis [illegible] Rō. 6.5. Si denique Pontifex ille noster Christus Iesus, non afficeretur sensu infirmitatum nostrarum. Hebr. 4.15. tum verò caussa maxima esset, cur nec res secundæ in tota vita nobis solatio & voluptati essent, nec res aduersæ vllam liberationis à tantis miseriis spem relinquerent. Quid enim prodest cuipiam si lucretur vniuersum mundum, seipsum autem perdat, siue seipso mulctetur? Luc. 9.25. Atqui persuasum habemus in cordibus nostris, testimonium nostro spiritui perhibente Spiritu Christi, nos ei concorpores esse, insititios ipsius factos esse, ac eum seriò sensu nostrarum infirmitatū affici. Itaque in eo solo, qui sapientia, iustitia, sanctificatio & redemtio nostra à Deo factus est, gloriamur. 1. Cor. 1.30. ac certò scimus, in omnibus

bus pluſquam victores nos eſſe per eum qui nos dilexit:& neque mortem,neque vitã, neque Angelos,neque principatus,neque poteſtates,neque inſtantia, neque futura, neque ſublimitatem, neque profunditatem,neque vllam rem aliam creatam poſſe nos ſeparare à dilectione Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.Rom.8.37.38.39.

Regnat, regnat Chriſtus in medio inimicorũ ſuorum.Pſal.110.2. Adueniet igitur ad nos eius regnum. Matt. 6. & diſſoluentur opera Diaboli. 1. Ioan. 3. 8. Ipſe conteret Satanam ſub pedibus noſtris citò. Rom.16.20.

Ne dubitemus breui vindicem fore gloriæ ſuæ etiam aduerſus eos,qui verbis profitentur, reuera autem negant,Ieſum Chriſtum in carnem veniſſe.1.Ioan.4.3.Confundet enim & hũc Antichriſti Spiritum oris ſui ſpiritu idem Chriſtus Dominus noſter, qui verè particeps factus eſt carnis & ſanguinis,ſed abſque peccato.Heb.2.14.

Nil quoque Chriſto triſte recepto. Fidus eſt hic ſermo.Nã ſi cũ eo mortui ſumus,cũ eo etiã viuemus.Si toleramus,etiã cũ eo regnabimus .2.Ti. 2.11.12. Præſtat nos cõformes fieri imaginis illius. Rõ.8.29.& noſmetipſos abnegantes, tollere crucẽ,talẽque ſequi ἀρχηγὸν τῆς ζωῆς,Mat.16.24.Act. 3.15. præſtat denique συγκακουχεῖσθαι, id eſt, malis affici cum populo Dei,quàm temporariis peccati commodis frui.Hebr.11.25

3. A redemptionis noſtræ beneficio ad tertium me poſtea confero, quod eſt ſanctificatio. Si nos profanos & à Deo alienos eſſe in peccatis non ſolùm naſci & eſſe per omnem vitam, ſed etiam mori, eóque nomine in vita & morte Deo abominabiles eſſe, reipſa experiremur, tum verò miſerrimi eſſemus, ſpem non habentes, Deíque in mũdo, omníſque veri ſolatij planè expertes. Sed bene habet, quòd nos in peculium ſibi ſegregatos, Deus Pater miſericordiarum & omnis conſolationis, per Spiritum ſuum ſanctum ſanctificat, regenerat, viuificat & conſolatur: quòd eundem vult eſſe pignus & arrhabonem noſtræ hæreditatis, dum in libertatem vindicemur, ad laudem gloriæ ipſius. Eph. 1. 14.

Intelligunt piæ mẽtes, in hac periculoſa & diuturna vitæ animalis militia ſibi opus eſſe inſtitutione, exhortatione, conſolatione, ſpe, patientia, conſtantia & multis aliis donis: ac ingenuè cum Ieremia ſemper dicunt: Scimus Iehouah, quòd nõ ſit hominis via eius, nec viri ambulantis vt præparet greſſus ſuos. Ier. 10. 23.

Sed hæc omnia in nobis efficit vnus ille & idẽ Spiritus, diſtribuens priuatim illa ſicut vult. Sicut enim corpus vnum eſt, & multa habet membra, omnia verò membra corporis vnius, multa quum ſint, vnum ſunt corpus: ita & Chriſtus, id eſt, myſticum illud corpus Eccleſiæ, cuius caput Chriſtus

stus est, fideles autem membra, pro membrorum varietate, varias habet functiones, quibus vt ritè ἡ ἕνωσις μόνως mẽbra defũgi possint, donis, mysterijs, & facultatibus à Spiritu sancto, qui idem & vnus in capite illo & membris est, instruuntur. Itaque per vnum Spiritum nos omnes in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudei, siue Græci: siue serui, siue liberi: & omnes vna potione potati sumus in vuum Spiritum. 1. Cor. 12. 11. 12. 13.

Hanc itaque tantam Dei gratiam, quæ nititur immutabili voluntatis ipsius proposito, sic nobis gratulemur, vt eius amplitudine, firmitate, fructu perpenso, non patiamur sensum rerum aduersarum nimium nos percellere & perturbare.

Non solis Apostolis, sed nobis quoque à Christo Iesu dictum statuamuis: Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis vt ego abeam. nisi enim abiero, Cõsolator ille non veniet ad vos: sin autẽ profectus fuero, mittam eũ ad vos, Ioan. 16. 7. Itaque à Spiritu sancto nos regi & erigi petamus, nos ipsos ei totos consecremus & libentissimè per mittamus.

4. Quarti beneficij, quod est collectio & conseruatio Ecclesiæ, meditatio, eximiæ cõsolationis fructum subministrat. Credimus sanctam catholicam Ecclesiam, Sãctorum communionem, persuasum habentes, nos quoque aditum per vnum Spiritum habere ad Patrem: cùm non amplius si-

mus hoſpites & inquilini, ſed cõciues Sanctorum, & domeſtici Dei: ſuperſtructi ſuper fundamentũ Prophetarũ & Apoſtolorum, cuius imus angularis lapis eſt ipſe Chriſtus Ieſus, Eph.2.18.19.20

O nos térque quatérque beatos, quos Pater cæleſtis idoneos fecit ad participandam ſortem ſanctorũ in luce: & liberauit nos à poteſtate tenebrarum, & trãſtulit in regnum Filij ſibi dilecti, in quo habemus redemtionem per ſãguinem ipſius, id eſt, remiſſionem peccatorum. Col.1-12.13.14.

Etſi autem vt bonos ciues de cõmuni patria, ſic oẽs fideles de Eccleſia, quæ cõmunis illorũ patria & officioſa τῆ φιλοστοργῷ Mater eſt, ſolicitos eſſe, æquum ſanè eſt, tameu firmitèr illis ſtatuendum eſt, Deum illum omnipotentem, qui temporibus Pharaonis, Senacheribi, Antiochi Epiphanis, Diocletiani, Iuliani Apoſtatæ, & Antichriſtianiſmi florentis, ſemen ſanctum, reliquias videlicet piorum mirando modo ſeruauit & protexit, etiã hoc nouiſſimo tempore, Eccleſiæ adfuturum, ſuos ſeruaturum, externos & internos hoſtes iudicaturum & poenis affecturum. Vidimus ſanè multa & illuſtria liberationis & defenſionis Eccleſiæ piorum quorundam exempla. Vidimus etiam iuſti iudicij Dei argumenta in Tyrannis, in falſis fratribus, qui quum & dictis & ſcriptis teſtatum feciſſent, ſe in reprobam mentem traditos, alij mœrore animi confecti ſunt, quidam laqueũ

ſibiipſis

sibiipsis, quidam etiam præcipitium, quidam alia, αὐθαίρετοι videlicet homines, mandauerũt. Notæ sunt historiæ Hoffmeisteri, Latomi, Crescẽtij, & aliorum quorundam non admodum hisce dissimilium ψευδαδέλφων & Zelotarum.

5. Quintum beneficium est, Iustificatio. Si verè credimus peccatorum remissionem, id est, si statuim⁹ nobis quoque remissa esse peccata, cur terrenorum malorum & discriminum caussa, tantopere angimur? Si Deus pro nobis quis cõtra nos? Is quidem qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quî non etiam cum eo omnia nobis gratificabitur? Quis intentabit crimina aduersus Electos Dei? Deus est qui nos iustificat. Quis est qui condemnet? Christus is est qui mortuus est, immò verò qui etiam excitatus est: qui etiam est ad dexteram Dei, qui etiam postulat pro nobis. Rom. 8. 31. 32. 33. 34.

Peccam⁹, fateor, sæpius quàm velimus, præocupati multiplicibus offensis, nec certè peccati iræque Dei aduersus illud magnitudinem parui ducere licet: sed tamen illud nobis solatio sit, quòd aduocatum apud Patrem habemus Iesum Christum, iustum. Ipse enim est propitiatio pro peccatis nostris. 1. Ioan. 2. 1. & 2. ipse in hunc mundum venit, vt peccatores, quibus videlicet dat vt resipiscant, seruaret. 1. Tim. 1. 15.

Etsi autem horribile & modis omnibus lugen-

dum ſpectaculum eſt, hoc noſtro tempore, quòd tot modis reuelatur ira Dei è cælo aduerſus omnem impietatem & iniuſtitiam hominum, vt qui veritatem iniuſtè detineant: quòd multi traduntur in reprobam & omnis iudicij expertem mentem. Rom. 1. 18. quòd nonnulli, Antichriſtianiſmo omiſſo, eum ad modum ſæuiunt in τὺς συμφλαγάτας, in Anteſignanos populi Dei, ac ſi papatum ex alto ipſis deſpicere, tutum eſſet: in fratres impreſſionē hoſtilem facere, glorioſū: quod denique in multorum animis nullum eſt, vt ipſorum dicta & facta iudicant, veritatis cognoſcendæ ſtudium: tamen, reuerenter Dei ſummè iuſti & omnipotentis, iudicia nos adorare: ex aliorum præpoſtero zelo & ruina, quid nobis cauendum & præſtandum ſit, diſcere: in timore & tremore noſtram ipſorum ſalutem conficere: Phil. 2. 12. noſtram nobis ipſis felicitatem gratulari: φιλαληθείαν cum φιλαδελφίᾳ coniungere, decet. Etſi enim, quū nubes & caligo ſint in circuitu Iehouæ, iudiciorū ipſius abyſſum, caliginoſis mentis noſtræ oculis perſpicere & perueſtigare non poſſumus: certum tamen eſt iuſtitiam & iudicium eſſe baſin ſolij ipſius. Pſal. 97. 2. ac eo nomine, in Deo beneplacito & iudiciis religioſè nobis acquieſcendum eſſe.

Quum autem de Iuſtificatione noſtra plenè in Domino perſuaſi ſtatuamus, gratis, id eſt, eius gratia iuſtificatos. per redemtionem factam in Chriſto Ieſu,

sto Iesu, Rom. 3. 24. nō potest nobis esse dubium de vocatione & Electione antegressa, nec de subsequente sanctificatione. Nam quos præsciuit Deus eosdem & prædestinauit, vt conformes fiāt imagini Filii sui: vt is sit primogenitus inter multos fratres. Quos verò prædestinauit, eos etiam vocauit: & quos vocauit, eos etiam iustificauit: quos autem iustificauit, eos etiam glorificauit. Rom 8.29 30.

Quomodocunque tandem externus noster homo excrucietur aduersis casibus & multiplicibus ærumnis, bene tamen res nostræ habent, quum experimur, Deum pio immensa sua bonitate fidē efficacem, laboriosam charitatem & tolerantem Spem, electionis nostræ argumenta, in nobis effeciisse. 1. Thess. 1. 3 4. ac præclaro operi nunquam defuturum, sed coronidē manumque extremam adhibiturum, impositurum.

6. Sextum beneficium, est Spes resurrectionis & æternæ vitæ. Scimus nos translatos esse ex morte ad vitam. 1. Ioan. 3. 14. Credimus Iesum Christum esse resurrectionē & vitam: ac nos qui in eum credimus, etiamsi mortui fuerimus, victuros. Ioan. 11. 25. Itaque de vita æterna πληροφορηθέντες, gloriamur in afflictionibus, scientes quòd oppressio patientiam efficiat: patientia verò experientiam: experientia autem spem, quæ non pudefacit, quòd charitas Dei effusa sit in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

Rom.5.3.4.5.Et quum neutiquam paria sint, quæ præsenti tempore perpetimur, futuræ gloriæ in nobis retegendæ.Rom.8.18.illa nobis magno animo ferenda & superãda iudicamus. Futurũ enim est, vt abstergat Deus lacrymas ab oculis nostris, eáque nobis fruenda det, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in mentem hominis venerunt,parata videlicet à Deo ipsum verè diligentibus.1.Cor.2.9.Isa.64.4.

Fontes præcipuarum consolationum (ad quas eæ,quas subiungam, referri debent)mihi videor, quasi exerto digito,monstrasse. Breuiter tamẽ locos subordinatos attingam, vt videant piæ mentes, quàm sit à Paulo Apostolo præclarè dictum: Sicut abundant perpessiones Christi in nobis, ita per Christum abundat etiam Consolatio nostra. 2.Cor.1.5. Meminerint autem ij, me hoc de afflictionum quæ Christi, veritatis & Ecclesiæ gratia ferendæ sunt, consolationum ἀντιφαρμάκοις seu remediis potissimùm agere.

7 Sit igitur hic septimus consolationis locus, *Quòd inuicta est veritas*.Fatale ei est ἐν τῷ ἥττᾶσθαι νικᾶν. Itaque quum eius iurati hostes totis viribus eam opprimere nituntur, emergit ipsa & triumphat. Non solùm testium suorum præconio innotescit veritas:sed etiam hostium suorum mendaciis (mirum dictu,sed verum) maiorem in modũ inclarescit. Pudeat sophisinatum & mendaciorũ suorum perduelles cælestis & immotæ veritatis,

etiamsi

etiamsi totus mundus eis adplaudat & subscribat. Econtrà, ingentibus animis sint veritatis testes, etiamsi mundus eis furēter reclamet. Quid enim? Rectè Bernardus, Veritas, ait, magis elucet impugnata. Verum dicere periculo caret, vt Nazianzenus: contra veritatem cognitam dimicare idololatriam superat, vt Augustinus grauissimè monet.

8 Octauus locus est, *Deus hostium opera suis benefacit.* Proinde non quid ipsi moliātur, quò respiciant: sed quid interim summè sapiens & φιλανθρωπος Deus agat, nobis spectandum est. Illi nobis maledicant, at Iehouah benedicet: insurgant illi, sed pudefient, & serui Dei lætabuntur. Psalm. 109.28. Illi cogitent aduersus nos malum, Deus autem cogitat illud in bonum. Gen. 50.20.

9 Nonus locus ducitur à consideratione *Luminum Ecclesiæ.* Si in hac sua senecta omninò nulli essent Ecclesiæ fidi Pastores & doctores, ac velut πρόμαχοι aduersus Antichristianos merita & personam Christi oppugnantes: tum verò lugubri illa θρηνῳδία nobis vtendum esset: Signa nostra non videmus, non est amplius Propheta: & non est nobiscum qui cognoscat vsquequo? Psal. 74.9. Sed, Dei beneficio, sunt adhuc aliqui superstites, quos diuinitus instructos esse multis egregiis Spiritus sancti donis, & excitatos ad tuendam syncēritatem & ἀδιαφθορίαν cęlestis doctrinæ, & confutandam ματαιολογίαν ἢ ἑτεροδιδασκαλίαν, res ipsa testatur. Itaque Deum nos respicere, & nobis ad-

esse ne dubitemus. Non enim frustra tantis donis instruit Ecclesiam: non sine consilio duces & succenturiatos sacro suo agmini præficit.

10 Decimus locus est, *collatio eorum, qui veritatem oppugnant & propugnant.* Etsi illi nō minùs, quàm hi, suos habent admiratores & sectatores (nec enim defuerunt olim adulatores, qui Dionysij sputum & saliuam lingerent, diceréntque nectare dulciorem esse) tamen non rarò vsu venire solet, vt quidam ex his, saniores videlicet cæteris, animaduersa ducum suorum vitæ turpitudine, vanitate, delitiis, βωμολοχίᾳ, κενοδοξίᾳ, studio rerum huius mundi, & epicherematum quibus nituntur fragilitate, posterioribus curis, quæ meliores esse consueuerunt, locum dent.

Sæpe quidem sacro & religioso silentio (quod tamen veritatis confessioni non præiudicet) optimis & cordatissimis veris, nunquam autem nō inuicta constantia iisdem opus est: eo præcipuè tempore quo Antagonistarum enthusiasmus & stentorei clamores, armati sunt brachij carnis præsidiis. Sed tamen tempus est, quo tacentibus graculis, cygni læto clangore & canta veritatis ὀπωνίκιον canunt. Odiosæ sunt comparationes, fateor, sed quis sanus non videat, quanto interuallo φωσῆρες Ecclesiæ & διδοῦχοι veritatis, post se relinquant suos illos criticos, siue pietatem & humanitatem, siue doctrinam & eloquentiam, siue denique merita in Ecclesiam & præclara monumenta religio-

si in-

sii ingenij, spectes? Nihil iam de eo dicam, quod qui Christi causſa plura aduersa sustinuernnt, & adhuc sustinent, qui opes, patriam, dignitates Christo posthabuerunt, meritò iis sunt anteferendi, qui in mediis delitiis viuunt

11. Vndecimus locus est, consideratio summæ potestatis Dei in moderanda *rerum & temporum vicissitudine.*

Si quando Ecclesiæ & singulorum fidelium res non solùm afflictæ, sed etiam conclamatæ videntur, repetamus ἐπῳδὴν μα Dauidis: Et dixi, Cædes mea hæc, sed mutationes sunt dexteræ excelsi. Psal. 77. 10.

Quoties enim liberauit Deus mirandis modis Sanctos suos? Quoties eripuit populum suum è media morte? Ad Mare rubrum temporibus Iosaphati, Ezechiæ, Macabæorum?

Vt maior fuit gloria trium testaium veritatis, postquam è Babylonica fornace ardente, illæsi egressi sunt: Danielis quum, è lacu leonũ eductus est: sic maior erit gloria totius Ecclesiæ & syncerorum doctorum veritatis, vbi difficili sua militia defuncti fuerint.

12. Locus duodecimus est, *spes successuum.* Nota sunt dicta Prophetica, in quibus dulcissimæ imagines de palma & de olea, occurrunt: Ego tamen ero sicut sicut olea viridis in domo Dei, spero in bonitate Dei in seculum & perpetuò. Psal. 52. 8. Item, Iustus vt palma germinabit: tanquam

cedrus in libano succrescet cum augmento. Plantati in domo Iehouæ: in atriis Dei nostri florebũt. Etiam germinabunt in senectute, pingues & virides erunt. Vt annunciem rectum esse Iehouam, Rupem meam, & non esse iniquitatem in eo. Psal. 92.12.13.14.15.

13. Decimustertius locus habet *Exempla sanctorum* qui omnibus mundi temporibus vixerunt, imprimis autem ipsius Sancti Sanctorũ, Iesu Christi. Quũ hic per crucẽ & afflictiones regnum Patris sui ingressus sit, & ei cõformes fuerint, sint, & futuri sint omnes Electi, memoria repetamus illud eius dictum. Non est seruus maior Domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur: si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt. Ioan. 15.20. Non sum dicebat Helias propheta melior Patribus meis 1. Reg. 19.4. Ac magna impatientia foret, si ea ferre recusarent, quæ illi tulerunt, quos & maiores suos & meliores fuisse ingenuè nostri illi duces profitentur

14 Locus quartusdecimus est, *fatum Ecclesiæ*. Vt nunquam hæc nisi sub cruce triumphauit, ita sæpe numerò ciuilis & longæ pacis incommoda sensit. Magis floruit & accessione fidelium aucta est Ecclesia, ardente decennali persecutione, quam mouerunt Diocletianus & Maximianus Augg. quàm postea sub Constantino Magno & eius ãliis, & sub Valente, quum grassaretur hostiliter in ipsa Ecclesiæ viscera, plusquam sacrilega

& con-

& conſcelerata Arrianorum hæreſis. Si quis vel hæc tempora intueatur, rem ita habere deprehen det. Annon eæ Eccleſiæ maximè florent, ob lucē & ἀδιαφθορίαν doctrinæ & Zelum fidelium, & præſtantiſſimis doctoribus & paſtoribus gaudent, quibus datum eſt in Chriſti negocio, non ſolùm in eum credere, ſed etiam pro eo affligi? Rurſum, eas, quæ pace ciuili & terrenis commodis fruuntur, non iam de Antichriſtianiſmo debellando, ſed de viris pacis oppugnandis agere, quis non videat? Nimium proh dolor, ferax eſt hæc ætas Minutiorum qui ſi ſaperent, vt debebant, non cum Fabio, ſed cum Hannibale, non iam Pœno, ſed Romano ſibi bellum gerendum, ſtatuerent.

15 Eſt & decimus quintus locus illuſtris, qui ducitur à conſideratione *operum Dei*, quæ inter media contraria mirandis modis peraguntur. Multos habet Deus agendi modos, rectos & indirectos, omnes tamen bonos, & conſilio ilius ſeruientes. Viſum illi eſt florentiſſimas aliquot Scholas, his proximis annis, diſſipare. Videmus itaque ingenio, facundia, vſu rerum magnarum pręſtantes viros, à fucis neſcio quibus pulſos, & perinde vt apes fumo, diſperſos eſſe. Sed vt olim fidelium, poſt Stephani martyrium, διασπορὰ vicinis Samaritanis & aliis profuit, quum multi conuerſi ad Chriſtum abiicerent Idolomaniam Ethnicam & Samaritanam, & ſeſe iungerent veræ Eccleſiæ: ita futurum in Domino Ieſu confido, vt Sanctorum ſe-

num & iuuenum exilia plurimum seruiant propagationi veritatis, glorię Dei, & instaurationi Ecclesiæ.

Quũ olim Samaritani ægrè ferrẽt instaurationẽ vrbis Ierosolymorũ, & nihil quod ad eam impediẽdam faceret, intentatum relinquerent, res tandem, miro Dei consilio, in diuersa abiit, sic vt eam promouere ἀέκοντίγε θυμῷ, edicto Darii Histaspis F. & vt sumptus subministrare, cogerentur. Quis dubitet hoc tẽpore vehemẽtissima illa τῇ ἰσχυρογνωμοσύνῃ θυμομαχίᾳ Theses suas horridè profectò defendẽtiũ, in piorum doctorũ animis magis ac magis inflammari φιλαλήθειαν & Zelum pro tuenda veritate, atque ita eam magis illustrari?

16 Accedit, vt multos allos consolationum locos consultò prętereã, *spes victoriæ & læti exitus*. Tam profectò certum est, Sophistica & Matęologia confutata, Veritatem victricem fore: quàm certum est hunc mundum à Deo conditum esse & conseruari. Ac eo nomine veritatis vexillum sæpius in medium, attonitis & stupentibus Sophistis, gaudentibus autem piis, profertur. Vidimus his nostris oculis, Sophistas, tanta cum trepidatione malam suam caussam agentes, vt pallore vultus, tremore membrorum, oratione confusa, τὸ ὕπουλον & cęcum animi vulnus ipsimet proderent. Quoties illud eis accidit, vt Spiritui sancto per adolescentes pios loquenti, & sapientiæ Dei

Dei respõdere ij non possent, qui se iura aliis dare posse, opinantur?

Ærumnosum fuit ministerium Athanasij, fateor: sed idem Ecclesię fructuosum fuit, & ipsi in mediis ærumnis glorioſum. Quum tale quoque sit & nostrorum Pastorum & doctorum ministerium, ne dubitemus nequaquam illorum laborẽ inanem fore in Domino. Qui enim veritatis doctrinam multis cum lacrymis seminant, suo tempore cum exultatione metent. Psal. 126. 5

Tuo autem illustri & laudatissimo nomini, Generose & Inclyte Domine, meas in Haggeum Prophetam Prælectiones, inscribere visum est, vt exstaret publicum meæ erga tuam excelsitatem obseruantiæ testimonium: quod etiã non ingratũ fore virtutis tuæ horoicæ fiducia ductus, mihi persuadeo.

Non fortassis meum est, merita in Rempub. literariam, Tuæ excelsitatis, celebranda suscipere. Hanc enim prouinciam, aliis eruditæ videlicet doctrinæ ἐργοδιωκταῖς, mihi relinquendam existimo. Illud solum quod me profiteri gratitudo iubet, testabor, Multos præclaros Scriptores è tenebris in lucem, obstetricante Typographica τῇ παλιγγενεσίᾳ, prodiisse, sumtus Tua excelsitate liberaliter subministrante: quibus alioquin nobis vel carendum fuisset, vel certè, eleganter adeò culteque excusis, vti & frui non licuisset.

Sed enim aliud est, quod nobis omnibus, qui

pietatem profitemur, præcipuè cordi est, tuámque excelsitatem, nos maximi vt par est, facere iubet. Quum Principes & Dynastas memores esse oporteat præcepti diuini: Deferte Iehouæ filij potentum, deferte Iehouæ gloriam & robur. Deferte Iehouæ gloriam Nomini ipsius debitam, incuruate vos Iehouæ apud splendidum eius Sanctuarium, Psal. 29. 1. & 2. quis non tuæ clementiæ gratuletur, veram veri Dei agnitionem, alienam à fermento humanorum commentorum, quod nunc apud nonnullos, proh dolor, in delitiis esse videmus? Sunt, fateor, præclara decora, stemmata, illustris origno, facultates opum, beneuolentia summorum Principum: quibus placuisse non vltima laus habetur. Magni etiam facienda sunt merita illustriũ hominum in Rempub. literariam, munificentia erga virtutis & veræ doctrinæ studiosos, qui ferè conflictantur cum multis magnis miseriis. Sed his omnibus anteponi debet veræ Religionis decus, quod & gloriæ nominis, & multorum ædificationi seruit. Vt ergo ea, qua decet, veneratione spirituales & corporales animi, corporisque dotes, & externa illa bona, quæ multarum virtutum instrumenta sunt, Tuæ excelsitati, gratulantur boni: sic etiam precantur, vt Rex illerum, & Dominus dominorum Iesus Christus, illustrem tuam Dominationem, boni publici caussa, diu florentem conseruet & protegat: vt piorum Mecœnatem benignum agere pergat.

Benè

EPISTOLA.

Benè & feliciter valeat Tua Clementia. Perscriptum Basileæ, Calendis Martiis, Anno Domini M. D. Lxxxi.

Illustris tuæ Dominationis,
obseruantissimus

Ioannes Iacobus Grynæus.

IN HAGGAEVM BREVES NOtæ, Per Ioannem Iacobum Grynæum.

1 Haggæus Hebræis festiuum & solennem significat. Eius historiam petere licebit non solùm ex hoc libello: sed etiam ex Ezr. 5. versu 1. Iosephi 1. ἀρχαιολ. lib. 11. cap. 4. & aliunde.

2 Collegam in munere prophetico Zachariam habuit, quocum prophetare cœpit anno 18. reditus populi Iudaici è Babylone, qui incidit in annum secundum Darii Hystaspis F. Mundi verò annum 3444. iuxta Funcianam Chronologiam, quam saluo aliorum iudicio, sequimur.

Status.

1 Quum modis omnibus infelices, & maledictioni obnoxii sint, qui quæ sua sunt tantùm quærunt, non etiam quæ sunt Dei: Pii primò omnium quærant regnum Dei & eius iustitiam: nam omnia ista (βιωτικὰ) adiicientur. Matth. 6. versu 33. Huc pertinent dicta: Date Deo, quæ sunt Dei. Matth. 22. versu 21. Siue igitur editis, siue bibitis, siue quid facitis, omnia in Dei gloriam facite. 1. Corint. 10. 31. Notum est etiam illud veteris Historici: τὰ τοῦ Θεοῦ πρόσωπα ἢ τὰ τῶν ἀνθρώπων. Certo certius est omnes oc-

cupationes OEconomicas, Politicas, Scholasticas & alias, plenas esse vanitatis & maledictionis, si, neglecto Dei cultu, diligentissimè quispiam eis defungatur.

2 Vt autem totius Ecclesiæ, quæ Dei Templum est, ita suæ ædificationis & instaurationis, quenque nostrum studiosissimum esse oportet: nam & ipsi Templa Dei sumus, & corpora nostra θυσίαν ζῶσαν Deo offerre debemus. Ephes. 2. ver. 20. 21. 22. 1. Cor. 6. versu 19. Rom. 12. versu 1.

3 Α'φορμὴ, Iudæi, é Babylone reduces priuatas ædes magnificè exstruebant: sua compendia solicitè quærebant: neglecta interim Templi instauratione & diuini cultus liturgia. Habebant autem καιρὸν τοῦ λόγου, quòd nondum præstò esset illud tempus, quo Deus Templum instaurari vellet. Hagg. 1. versu 2. Eos Propheta grauissimè reprehendit, & impiam hanc negligentiam maledictionis diuinæ fontem esse, docet.

Doctrinæ capita in vtroque capite obseruanda.

1 Ecclesiam instaurabit Deus: vt in æternum salua sit.

2 Deus plenitudinis tempore in carne patefiet.

3 Vbi Euangelium Gentibus prædicatum fuerit, terra & cælum commouebuntur.

4 Meminerint fideles se esse Templa Dei, eóque nomine diligant Christum, vt eius spiritu magis ac magis instaurentur & renouentur.

HAGGÆUS PROPHETA.

CAPITIS I. ARGVMENTVM.

1 Circunstantiarum Temporis, Personarum & Rerum descriptio præmittitur, vers. 1. & 2.

2 Oratio, partim Iudicialis, partim Deliberatiui generis, subiungitur. Primò enim ostendit, grauiter peccauisse Iudæos, quòd ædes priuatas sibi quam primùm ædificauissent, neglecta sacræ Ædis instauratione. Deinde quomodo eos castigarit Dominus, edocet. Postremò, hortatur eosdem ad Templi ædificationem: addita promissione amplissima de benedictione diuina, qua officium piè facientes esset locupletandi. vers. 3. vsque ad finem 11.

3 Narratio ὑποφατικὴ de Principum & Populi Iudaici obedientia. vsque ad finem capitis.

CAPVT I.

ANNO secundo Dariaues Regis, mense sexto, die prima mensis, fuit verbũ Iehouæ in manu Haggai Prophetæ ad Zerubabel filiũ Salthiel ducem Iehuda, & Iehosua filium Iehosadac sacerdotem magnum, vt diceret,

2 *Sic dixit Iehouah exercituum, dicendo, Populus iste dixit, Nondum tempus venit,*

tempus inquã *Domus Iehouæ vt ædificetur.*

3 Fuit itaque verbum Iehouæ in manu Haggai Prophetæ, vt diceret,

4 Nunquid, ô vos, tempus vobis aduenit *vt habitetis in domibus vestris laqueatis, & Domus ista est deserta?*

5 Nunc ergo sic dixit Iehouah exercituũ, Ponite cor vestrum super vias vestras.

6 Seminabitis multum, & inferetis parum: comedetis, & non saturabimini: bibetis, & nõ inebriabimini: induetis vos, & non calefietis. & qui se locauerit mercede, locabit se mercede quæ erit ac si decideret *in sacculũ pertusum.*

7 Sic dixit Iehouah exercituum, Ponite cor vestrum super vias vestras.

8 Ascendite in montem, & adducite illinc *ligna, & ædificate domum, & cõplacebo mihi in ea, & glorificabor, dixit Iehouah.*

9 Respicietis ad multum, & ecce parum: & intulistis ipsum *in domum: at exufflo illud. Qua de causa, dixit Iehouah exercituum? Propter Domũ meam quæ est deserta, vos autem curritis quisque in domum suam:*

10 Propterea super vos clausit se cœlum ne daret vobis *rorem, terra quoque clausit se ne fructum suum ederet.*

11 Et vocaui siccitatem super terram hanc,

ac

ac super mõtes, & super triticum, & super vinum, & super oleum, quin & super vniuersa *quæ profert humus, & super homines, & super iumenta, & super omnem laborem manuum.*

12 *Audiuit autem Zerubabel filius Salthiel, & Iehosua filius Iehosadac sacerdos magnus, cunctusq; reliquus populus vocem Iehouæ Dei sui, & verba Haggai prophetæ, sicut miserat eum Iehouah Deus eorum, timuitq; populus à facie Iehouæ.*

13 *Dixit itaque Haggai legatus Iehouæ in legatione Iehouæ, populo, dicendo, Ego vobiscum* sum, *dixit Iehouah.*

14 *Et suscitauit Iehouah spiritum Zerubabel filij Salthiel ducis Iehudah, & spiritum Iehosua filij Iehosadac sacerdotis magni, & spiritũ totius reliqui populi, & ingressi sunt, & fecerunt opus in domo Iehouæ exercituum Dei sui.*

CAPITIS II. ARGVMENTVM.

1 Oraculum de secundi Templi, in quo Messias docturus esset, summa gloria. Constat 10. primis versibus.

2 Aliud Oraculum, Parabola & responsione constans, quo docet prophana hactenus fuisse & esse Iudæorum sacrificia, quæ sine fide offerrentur. vers. 11. 12. 13. 14. 15.

3 Maledictio eorum, qui solùm quæ sua sunt quærũt,

non autem ea quæ sunt Dei. vers. 16.17.18.

4 Promissio de benedictione Respiscentium. vers. 19.20.

5 Postremum Oraculum, de Ecclesiæ & Politiæ Iudaicæ conseruatione. Zerobabel, typus Christi Iesu, hîc celebratur illustri elogio, quòd sit annuli signatorij instar in manu Dei.

CAPVT II.

DIE viceſima & quarta menſis in ſexto, anno ſecundo Dariaues Regis,

2 Septimo menſe, viceſima & prima eiuſdem *fuit verbum Iehouæ in manu Haggai prophetæ, dicendo,*

3 Dic nunc ad Zerubabel filium Salthiel ducem Iehudah, & ad Iehoſua filium Iehoſadac ſacerdotem magnum, & ad reſiduum populi, dicendo,

4 Quis eſt *ex vobis reliquus qui viderit domum iſtam in gloria ſua priore, & qualem videtis eam nunc? nónne ſic* eſt *ac ſi nõ eſſet in oculis veſtris?*

5 Nunc autem robora teipſum Zerubabel, dixit Iehouah, robora te quoque Iehoſua fili Iehoſadac ſacerdos magne, & robora te vniuerſa plebs terræ huius, dixit Iehouah, & operamini: quoniam vobiſcum ſum, dixit Iehouah exercituum.

6 Et faciam *verbum quod pepigi vobiſcum quum egrederemini ex Miſraim: Spiritus*

tus quoque meus ſtabit in medio veſtrum: ne timeatis.

7 *Sic enim dixit Iehouah exercituum. Adhuc vnum puſillum & ego commouebo cælū & terram, ac mare & aridam:*

8 *Commouebóque omnes Gentes, & veniet deſiderium omnium Gentium, ac replebo domum iſtam gloria, dixit Iehouah exercituū.*

9 *Meum eſt argentum, & meum eſt aurū, dixit Iehouah exercituum.*

10 *Maior erit gloria Domus huius poſterioris*, gloria *prioris, dixit Iehouah exercituū: & in loco iſto dabo pacem, dixit Iehouah exercituum.*

11 *Viceſima & quarta* die menſis *noni, anno ſecundo Dariaues fuit verbum Iehouæ in manu Haggai Prophetæ, dicendo,*

12 *Sic dixit Iehouah exercituum, Interroga nunc Sacerdotes Legem, dicendo,*

13 *Si tulerit quiſpiam cárnes ſanctificatas in ora veſtimenti ſui, & tetigerit ora ſua panem, aut pulmentum, vel vinū, aut oleū, ſiue quemlibet cibum, nunquid ſanctificabitur? Et reſponderunt Sacerdotes, dixerúntq;, Nō.*

14 *Sic dixit Haggai, Si tetigerit immundus ob cadauer humanum aliquod eorum, erítne immundus? Et reſponderūt Sacerdotes, dixerúntque, Immundus erit.*

15 *Cœpit itaque Haggai dicere, Sic populus iſte, & ſic gens iſta eſt coram me, dixit Iehouah, atque ſic omne opus manuum eorum: & quicquid offerunt illic, immundum eſt.*

16 *Nunc igitur ponite quæſo cor veſtrum à die hac & ſuprà, antequam ponerent* operarij *lapidem ſuper lapidem in templo Iehouæ.*

17 *Antequam eſſent* in eo opere, *veniebat* agricola *ad aceruum viginti* modiorum, *& erat decem* modiorum: *veniebat* quoque vinitor *ad torcular, vt hauriret quinquaginta* cados vini *è torculari, & erat viginti.*

18 *Percuſſi vos ariditate & robigine, & grandine, omne opus manuum veſtrarum, & non* conuertebatis *vos ad me, dixit Iehouah.*

19 *Ponite nunc cor veſtrum à die iſta, & ſuprà, à die* inquam *viceſima & quarta* menſis *noni*, hoc eſt *à die qua fundatum eſt templum Iehouæ ponite cor veſtrum:*

20 *Num adhuc eſt ſemen in horreo ipſo? præterea nondum vitis, & ficus, & malogranatum, & arbor oleæ protulit fructum: à die hac benedicam.*

21 *Et fuit verbum Iehouæ ſecundò ad Haggai viceſima & quarta* die *ipſius menſis vt diceret,*

diceret,

22 Dic ad Zerubabel ducem Iehudah, dicendo, Ego commoturus sum cœlum & terram.

23 Et subuertam solium regnorum, ac dissperdam robur regnorum Gentium, subuertámque currus & ascensores eorum, & descendent equi & ascensores eorum, quisque gladio socij sui.

24 In die illa, dicit Iehouah exercituum, tollam te Zerubabel fili Sealthiel serue mi, dixit Iehouah, & ponam te tanquam signaculum: quia te elegi, dicit Iehouah exercituum.

HAGGÆI PROPHETIÆ
FINIS.

mus, scientiam conscientiæ anteponentes, primùm seiungimus ea quæ Deus coniunxit: deinde vt plurimum, secundum Agathonem:

Τὸ μὴ πάρεργον ἔργον ὡς ποιούμεθα·
Τὸ δ' ἔργον ὡς πάρεργον ἐκπονέμεθα.

Quid igitur, fratres, superest, nisi vt mutata in melius sententia, Haggæi consilium sequentes, non tam de priuatis ædibus, quàm de templo ædificando, laboremus: hoc est, Deo quæ illius sunt, fideliter tribuentes, benedictionis participes tandem aliquando fiamus. Sed de his omnibus ἐν δι-εξόδῳ dicendum erit.

Capitis 1. versus 1.

Propheta orditur librum ab historica descriptione Circũstãtiarũ, vt doceat Quãdo, Quisnã, Cuius nomine, ductu & auspicio is, deniq; Quos sit alloquutus. Nos eundẽ ordinem in interpretatione sequemur. Lectio 3.

1. Tempus.

Anno secundo Darij Regis, mensis sexto die prima mensis, Hoc est, Anno ab orbe condito 3444. Calendis Septembris: quum anno præcedente Darius Histaspis filius, a-

pud Persas regnare cœpisset.

Darius Histaspis filius Cambysæ successit, electus à Persarum Principibus: teste Herodoto in Thalia.

Plato lib. 3. de Legibus, eum laudans ait: Regnum, quod Cambyse rege perijt, πάλιν ὅτι Δαρείου σχεδὸν ἐσώθη. Negat etiam eum à puero delicatè educatum fuisse: & ab eo in septem partes imperium diuisum: & eundem æqualitatem introduxisse: & magnificentia regia Persarum animos sibi cõciliasse affirmat. Hoc autem illi vitio dat, quòd Xerxem filium regia illa sua disciplina non curauerit instituì, ac testatur eidẽ dici potuisse: ὦ Δαρεῖε ὡς τῷ Κύρου κακὸν οὐκ ἐμαθες: enutristi enim Xerxem ijsdem omnino moribus, quibus Cyrus Cambysẽ.

Theses.

1. Absit ab historia sacra superstitio, quæ negat Regum Ethnicorum nomina, quum opus est, aspergi posse. Videndum ne vel in excessu vel defectu peccemus, hoc est ne sacris tam multa prophana misceamus, vt illa vilescant & obscurentur: néue rectè dicta ideo ex alto despiciamus, quia ab exper tibus lucis specialis Christi profecta sunt.

2. Etiam nobis accurata temporum obseruatione opus est. Nam omnia suum tẽpus

pus habent. Eccl.3. Et notum est illud Platonis: πολλὰ ἂν καὶ τῖς καιρῖς δίδοται τῖς τὸν βίον ἡμῶν καταλαμβάνουσιν. Epist.9.

2. Persona legatione fungens.

Haggæus Propheta, qui eodem hoc capite versu 3. vocatur, legatus Iehouæ: qua de re & supra quædam dicta sunt, & suo loco dicentur.

Thesis.

Sancti Prophetæ Dei nomine legatione functi sunt ad homines. Vnde colligimus, 1. Auctoritatem eorum esse sanctam. Luc. 10.v.16. Qui vos audit, me audit. 2. Collegas Prophetarum esse Apostolos. 2. Cor.5. v.20. Itaque Christi nomine legatione fungimur. 3. In pretio summo nobis habendos fidos Ecclesiæ Ministros, quum & Dei cooperarij, & Prophetarum Apostolorúmque successores sint. 4. Debere autem eos aduigilare vt muneris dignitati, diligentia & fides in officio respondeat.

3. In cuius nomine Haggæo prophetandum fuerit.

Id docent hæc verba: Fuit Verbum Iehouæ in manu Haggai: id est prophetare cœpit in nomine Dei Israelis. 1. Ezr.5.v.1. Hoc itaque testatur Spiritus sanctus, Haggæum & Diuinitus vocatum ad munus prophe-

tandi, & eundem Verbum Iehouæ, non suum, aut aliorum hominum commentum prædicauisse.

Theses.

1. Dei solius est idoneos efficere vtriúsque Testamenti Ministros. 2. Cor. 3. ver. 5. Non quòd idonei simus ex nobis ipsis ad cogitandum quicquam, velut ex nobis ipsis: sed quòd idonei sumus, id ex Deo est: qui fecit etiam vt idonei essemus Noui Testamenti Ministri, non literæ, sed Spiritus. Hæc perpendentes S. Theologiæ studiosi, quotidie per fidem precentur: Domine Iesu Christe, duc me per Spiritum tuum sanctum in omnem veritatem, da vt quotidie meipso fiam melior, ac vt proficiam in doctrina & vitæ innocentia: vt si me ad docendi in Ecclesia munus aliquando vocaueris, sanctificationi nominis Diuini, & Sãctorum instaurationi, summa fide & vigilantia seruiam.

2. Horum autem est Dei verbum: non σεσοφισμένως μύθως, annuntiare. Iuxta dictũ Christi. Docete eos seruare omnia, quæ mandaui vobis. Matt. 28. v. 20. Item, Profecti prædicate, dicentes: Appropinquauit regnum cælorum. Matt. 10. v. 7.

3. Non sunt audiendi fanatici homines, qui

qui suo nomine venientes prophetant de cordibus suis. Deut. 18. v. 20. Propheta qui superbè egerit, vt loquatur verbum in nomine meo, quod non præcepi ei loqui, quíque loquetur in nomine deorum alienorum, morietur propheta ille. Subiungit postea regulam diiudicãdi Pseudoprophetas, quæ egregiè illustrabitur exemplo 400. pseudoprophetarum, qui Achabo pollicebantur victoriam de Syris, à quibus tum ille victus & occisus est. 1. Reg. 22.

Ἀπορία. Atqui non euenit quod Ionas de Niniuitis delendis prædixerat. Num igitur & ipse inter Pseudoprophetas numerandus est?

Respondeo: Denuntiationem Ionæ annexam habuisse conditionem de resipiscẽtia, qua impleta, nihil contra denuntiationem factum esse videmus. Est itaque in argumento fallacia à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Quo autẽ inter Prophetas Domini loco Ionas habendus sit, nouerunt pij omnes: vt non sit cur in scirpo nodum quæramus.

---

4 *Ad quos missus sit Haggæus.*

Lectio 4. 23. Octob. 1579.

Missus est ad Zerubabelem Sealtielis filium, Ducem Iudæorum: & ad Iehosuam

Iosadaki filium, sacerdotem magnum.

Duo hoc loco notauimus, προσωπογραφίαν duorum illustrium virorum, Zerubabelis & Iosuæ: & Consilium Spiritus sancti, quod de magnis rebus nos admonet.

De Zorobabele.

1. Nomen, Zerubabelis significat alienũ à confusione, vt quidam perhibent. Philo ait, eundem Barachiam dictum,

Thesis.

Quum nomina rerum δηλώματα sint, pulcerrimis nos delectari decet. Talia autem sunt quæ pietatem referunt, & ad eam sũmo studio sectandam calcar addunt.

2. Pater. Sealthiele patre natus est Zerubabel, è nobilissima posteritate Dauidis Regis.

Thesis de Nobilitate.

Sola apud Deum libertas est non seruire peccatis: sola apud Deum nobilitas, clarum esse virtutibus. Hieron. ad Celantiam.

3. Officium, Dux Iudeorum fuit Zerubabel, qui etiã anno ab orbe condito 3410. natus est. Anno ætatis suæ 17. partem populi Iudaici reduxit è Babylone Ierosolymam, Ducis munere functus est annos 58. Haggæi prophetæ ministerio vti cœpit, ætatis suæ 34. anno.

Thesis

Thesis.

Multitudo opus habet duce, qui sit ἀνδρὸς καὶ φρονίμου, vt amicitiæ subditorũ custos sit καὶ ὀπαμελητής. *Plato lib. 1. de Legib.*

De Iosua Archipontifice.

1. Nomen, Iehosua seruatorem & liberatorem significat. Matt. 1. v. 21.

Thesis.

Quando Ministri cum Christo coniunguntur, seipsos & alios seruare dicuntur: 1. Tim. 4. v. 16. At quũ eidem conferuntur, nihil esse deprehenduntur. 1. Cor. 3. v. 7.

2. Parens, Iehosadak. Nomen elegantissimum, quum Domini iustitiam significet.

Thesis.

Etiam regale Dei sacerdotium, nullam aliam, quàm Dei iustitiam, salutis suæ causam agnoscit.

3. Officium. Summus Sacerdos Iudæorum. Fũgi cœpit Sacerdotis munere, anno Mundi 3428. præfuit eidem 36. annos. Legatione diuturna ad Regem Persarum Darium Histaspis filium per octennium: quo finito, iterum præfuit sacerdotio an. 20.

Thesis.

1. Qui sacerdotio funguntur, aut ministerio, non sibi præcipuè, sed Ecclesiæ seruiũt.

2. Sacerdotes Iudæorum quædam poli-

tica munia obibant: Ministros verò Ecclesiæ, verbi & Sacramentorum liturgia sola, defungi decet.

De Consilio Spiritus sancti.

Vt Spiritus sancti consilium declaretur, primùm ὑποθεσιν ad certas Theses reuocabimus: deinde, ἀναγωγὴν de Christo Iesu, paucis tractabimus.

Theses.

I. Emendatio malorum, quibus laborat Ecclesia & Respub. non habet alium auctorem, quàm Deum. Probatio.

I. Ab exemplo. Fuit verbum Iehouæ per manum Haggæi v. 1. Vnde colligimus Deo auctore, hanc emendationem susceptam.

2. Ratio. Deus non est auctor confusionis, sed ordinis & decori: quum sit summè tum sapiens tũ bonus. Qui igitur ἀταξίαν sublata, diuinã illam εὐταξίαν substitui, hoc est, qui paci & vtilitati omnium ordinum consultum volunt, in Deum præcipuè respiciant: non in homines.

II. Hic autem plerumque mediatè agit, Prophetis & aliis συνέργοις adhibitis.

Auctoritas. Non facit Iehouah quicquã, nisi reuelauerit secretum suum seruis suis Prophetis. Si leo rugiat, quis non timebit? Dominus Iehouah locutus est, quis nõ prophetа-

phetabit? Amos 3.v.7.8.

Exẽplum. Per manum Haggai Prophetæ ſcilicet patefecit Deus ſuam voluntatẽ de Templo ædificando &c.

III. Initium autem facit à capitibus populi ſui, vt membris quoque poſtea conſulat. Rationes.

I. Nam vt principiũ motus à capite eſt: ſic ſuperiorum ſalus, virtus & integritas, inferioribus non ſolùm exemplo ſed etiam vſui eſt & emolumento.

2. Præterea ea eſt capitis & membrorum συμπάθεια, vt quũ caput dolet, cætera mẽbra malè habeant, quum illud non laborat, reliquis mẽbris rectiùs conſuli poſſit. Nam in capite non tantùm intelligentiæ, ratiocinationis & memoriæ ſedes eſt, ſed etiam officinæ ſenſuum interiorum & exteriorũ. Eadẽ ratione præcellere decet dotibus animi eos qui Eccleſiæ & Reipub. adminiſtrationi præſunt.

IIII. Id dũ facit, ordines συζύγες minimè ſeiũgit. Ordines συζύγες voco Eccleſiaſticũ & Politicum, quorum ſeminarium eſt œconomica σύταξία. Moſi adiũxit Deus Aaronem ξυμπαράσατην, quũ populus Iſraeliticus ex Aegypto educendus eſſet. Tales collegæ fuerũt Zerobabel & Iehoſua: quos

hîc celebrat Propheta noſter.

v. Vult autem quemque horum τὰ ἴδια πράττειν. Dignus ſanè eſt memoria Syllogiſmus de Iuſtitia diſtributiua.

Certum eſt non minus rebus ipſis ad vitam nobis opus eſſe, quàm gradibus & officiis quæ ſeruiunt legitimæ earum diſpenſationi. Atqui nobis opus eſt Alimentis, Inſtitutione de Deo, & Gubernatione. Opus igitur nobis eſt ordine Oeconomico, Eccleſiaſtico, Ciuili; ac vt ne ſit barbarica confuſio, decet quemque propria facere.

vi. Sic tamen vt ſe inuicem συμπράττειν meminerint: ſicut omnes in homine facultates conſpirant, vt totius hominis incolumitati conſulatur: Ita omnes ordines populi Dei conſentientes eſſe decet, ne ſit ſchiſma in ſocietate ſanctorum.

vii. Ac vult Deus eos locum dare mutuę exhortationi, ne quis ſegneſcat fractus tædio ærumnarum: vt Zorobabel Dux & Iehoſua ſacerdos à Prophetis ſeſe admoneri, non ægrè tulerunt.

Ἀναγωγή.

Chriſtus Dominus noſter verè eſt πάντων αὐτάξιος ἄλλων. Nam & ἀρχηγὸς eſt vitę, & ſummus ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedec, ſẽper viuens vt pro nobis inter-

terpellet. Eius typi fuerũt Zerubabel & Iehoſua. Vt enim hi Iudæos in patriam reduxerunt: ita ille nos in cœleſtem patriam reducit. Sed hac de re aliàs pluribus agemus.

Verſus 2. Lectio 5. Nouemb. 2. 1579.

Sic dixit Iehouah exercituum dicendo : Populus iſte dixit, Nondum venit tempus tempus (inquam) *Domus Iehouæ vt ædificetur.*

Etſi breuiſſima eſt hæc oratio, adeo tamen eſt ſententioſa, vt ſit illuſtre exemplũ prouerbij, χάρις βαιοῖσιν ὀπηδεῖ, id eſt, Adiuncta eſt paruis gratia rebus. Peculiaris autem eſt & ſacer λακωνισμὸς Prophetarũ & Apoſtolorum, de quo ſcitè Gregorius Nanzianzenus in Epiſtola quadam inquit: τὸ λακωνίζειν οὐ τοῦτο ἐστὶν ὅπερ οἴει, ὀλίγας συλλαβὰς γράφειν, ἀλλὰ πολὺ πλείσων ὀλίγας.

Vt autem gemmam aut vnionem aſpicientes, de loco natali, de colore, de pretio & vſu quærere ſolemus: ſic in hac oratione, docendi diſcendíque gratia hæc octo κεφάλαια ordinè perpendamus.

1. Quod genus cauſſæ in ea dominetur.
2. Cuius nomine ſit habita.
3. Ad quos præcipuè directa ſit.
4. Quo teſte ſeu procuratore ſit habita.

5. Quo genere sermonis constet.
6. Quis eius status sit.
7. De quibus potissimùm sit habita.
8. Quisnam totius orationis scopus & vsus sit.

1. De Causſæ genere.

Ad Iudiciale causſæ genus, eæ orationes pertinẽt, quæ reprehensiones, iniustitiæ & impietatis hominum, malorúmque publicorum & priuatorum, complectuntur. Atque in hoc quanquam breui sermone, grauissimè accusatur Populus Iudaicus, tum quòd τὰ βιωτικὰ solùm quæreret, tum quòd cælestium bonorum cultúsque diuini, nullam haberet rationem.

Quod de Iudaico populo hîc queritur Propheta, id ne non possit de multò maxima parte generis humani, verè dici, vehementer verendum nobis est. Res ipsa testatur impleri nostra ætate Vaticinium Iesu Christi Domini nostri: Sicut erant dies Noe: ita erit & aduentus Filij hominis: Sicut enim diebus qui præcesserunt Diluuiũ, edebant & bibebant, vxores ducebant & nuptum dabant, ad eum vsque diem quo Noe ingressus est in arcam: nec cognouerunt diluuium, vsque dum veniſſet & sustulisset omnes: ita erit & aduentus Filij hominis.

minis. Matt. 24. v. 37. 38. 39.

2. *Cuius nomine habita sit oratio.*

Iehouæ exercituum nomine, ista promulgata sunt.

De nomine τετραγραμμάτῳ aliàs multa nobis dicta sunt. Itaque nō nisi ἀφορισπῶς pauca de eodem in iuniorum gratiam repetemus.

1. Iehouæ nomen propriè denotat æternam essentiam, τὸν ὄντα. Exo. 3. v. 14.

2. Sed eiusmodi quæ à nulla alia sit: à qua sint omnia: & quæ principatum in omnia obtineat.

3. Itaque nulli Creaturæ, ne quidem humanæ in Christo naturæ, competit.

4. Vsurpatur autem, vt & Domini nomē, aliàs essentialiter: aliàs Personaliter.

5. Nec ad Patris solùm personam restringitur.

6. Diuerso respectu, Iehouah est & non est Pater τῷ λόγῳ. Est respectu personæ: nō est, ratione essentiæ. Nam Patris filius dicitur & est, non autem essentiæ.

Sed ad rem ipsam accedamus. Si quando Deus ipse hominum facta accusare dicitur, veniant nobis in mentem hi grauissimi Aphorismi.

1. De præscientia Dei.

E cælis respcit Iehouah, videt omnes, filios hominum Psal. 32. v. 13. Deus est ἔφορος qui accuratè inquirit in vitam & facta hominum. Gen. 11. & 18.

II. De iudicio Dei.

Iehouah iudicat populos. Psal. 7. v. 9. Etsi autem non rarò iudicia sua differt, suo tamen tempore eadem exequitur. Docuit id etiam Ethnicos homines experientia, quæ peperit prouerbium: Dij laneos habent pedes.

III. De Ira Dei.

Reuelatur ira Dei è cœlo aduersus omnem impietatem & iniustitiam hominum, vt qui veritatem iniustè detineāt. Rō. 1. v. 18. Pœnæ publicæ, pestis, fames, bella sunt testimonia iræ Dei aduersus peccata hominum. Item priuata mala, excæcatio cordis, mens reproba, veritatis contemptus aut neglectio, labor inanis in studijs & occupationibus. Hæc & alia maledictionis diuinæ argumenta, sunt instar Concionum quas cælitus ad nos Dominus habet, vt ad agnitionem & sensum peccatorum nos adducat. Vtinam verò opera Iehouæ aspiciētes, non simus ἀπηλγηκότες, sed manum Domini sentiētes, humiliemus nos sub potente eius manu, & fructus pœnitentia dignos

gnos proferamus: sic vt τὰ παθήματα τὰ ἡμῶν ἀχάρεστα, fiãt nobis salutaria μαθήματα, iuxta dictũ: Priusquã humiliarer, ipse errabã: nũc autẽ mãdata tua custodio. Psal. 119.

3 Apostrophe. Ad quos potissimùm directa sit oratio in hoc versu. Lectio 6 Nouemb.

Non dubium est ad ducem Zerubabelem, & summum Sacerdotem Iosuam, qui tum rerum summæ in populo Iudaico præerant, hæc dicta esse. Colligi enim id potest, tum ex præcedẽti versu, tum è reipsa. Thesis. Vt emendatio publicorum malorum institui possit, Magistratus & Pastores Ecclesiæ ad eorum considerationem, vocãdi sunt. Rationes.

I. Interest enim Ecclesiæ & Reipub. nequaquam his vel inscijs vel conniuentibus, grassari scelera.

II. Nos etiam ordines συμφωνεῖν decet, sic vt Moses & Aaron tradãt mutuas operas, publici boni caussa

III. Certum quoque est Deum, mediatè agentem his συνέργοις vti, ad mala quidẽ exstirpanda, bona verò plantanda.

4 Sed quo teste seu procuratore vsus est Dominus in hac actione?

Haggæo Propheta, qui etiam eius rei te-

ſtandæ cauſſa non dixit: Sic dicit Haggæus: ſed, Sic dicit Iehouah exercituum. Theſes.

I. Nemo ſibi ſumit honorem, niſi qui vocatus eſt à Deo: quemadmodum & Aaron. Hebr. 4. v. 4. De vocatione.

II. Homo non poteſt recipere quicquã niſi fuerit ei datum è cælo. Ioan. 3. v. 27. De donis & dignitate cuiuſque.

III. Quum ſancti Dei homines à Spiritu ſãcto acti loquuntur: ſermo eorum de Deo excipiendus à nobis eſt non vt hominum, ſed vt Dei ſermo. 2. Pet. 1. v. 21. 1. Theſſ. 2. v. 3.

IIII. Sanctis Dei ſeruis digna modeſtia & veracitas eſt, Oracula Spiritus ſancti, ſoli Deo accepta ferre.

5 Quo genere ſermonis.

Vſus eſt μνησει vt rei indignitatem amplificaret. quaſi dicat Huic ingrato populo nunquam non in ore eſt, τὸ: Nondum venit tempus vt ædificetur Templum Iehouæ. Apparet autem, priuata ædificia & cõpendia illi præcipuè eſſe cordi.

Ad eundem modum apud Ezechielem, cap. 18, v. 2. dicitur: Quid vobis vt parabolicè loquamini parabolã hanc ſuper terram Iſrael, dicendo? Patres comederunt vuam acerbã, & dentes filiorũ obſtupeſcunt. &c.

The-

Theſes.

1. Cauendum eſt ab ijs vocibus, quæ ſapiunt incredulitatem.

2. Incredulitatis autem argumentum eſt, temporum momenta pro ſuo libitu præſcribere ijs, quæ nunquam non fieri debent ad Dei gloriam.

3. Si de omni verbo ocioſo reddenda nobis erit ratio, multò magis de eo quod contumelioſum eſt in Deum.

Notum eſt illud vetus, ἐχθρὰ σοφία λοιδορῆσαι θεόν. Contumelia autem afficitur, quũ voces ſparguntur pugnantes cum voluntate Dei. Dignum eſt memoria Platonis dictum de Repub. lib. 2. κακῶν ὃ αἴτιον φάναι θεόν τινι γίγνεσθαι, ἀγαθὸν ὄντα, δ' ἁμαχετέον παντὶ τρόπῳ, μήτε τινὰ ταῦτα λέγειν ἐν τῇ αὐτῇ πόλει, εἰ μέλλει δυνομήσεσθαι, μήτε τινὰ ἀκούειν, μήτε νεώτερον, μήτε πρεσβύτερον, μήτε ἐν μέτρῳ, μήτε ἄνευ μέτρου μυθολογοῦντα· ὡς οὔθ' ὅσια ἂν λεγόμενα, εἰ λέγοιτο, ὄφελος ἡμῖν, οὔτε ξύμφωνα αὐτὰ αὑτοῖς. Subiũgit autẽ Plato duas leges, quarũ prior eſt: Θεὸς αἴτιος τῷ ἀγαθῶν. poſterior, Deus non eſt præſtigiator &c.

Hæc eo tantùm nomine dico, vt iuniores videant, quanta cum religione, Ethnici ſaniores de Deo ſibi ſentiendum & pronuntiandum, cenſuerint. Quanta cum ve-

neratione, nos qui Spiritus ſancti donum accepimus, de eſſentia & voluntate, déque iudicijs eius pronuntiare conuenit?

4 Tantum abeſt vt Deus boni conſulat dicteria in ſe prolata, vt ne quidem in fratres nos ea effutire velit. Pſal. 50. v. 19. 20. Os tuum emittis ad malum, & lingua tua concinnat dolos. quin etiam contra fratrẽ tuum loqueris, contra filium matris tuæ attollis probrum. Hæc feciſti & tacui: exiſtimaſti me eſſe tui ſimilem: ſed arguam te, & ordinabo ſcelera tua coram oculis tuis.

Lectio 7. Nouẽ. 4.

6. Status orationis.

Orationis huius ſtatus eſt διαιολογικὸς, ſeu Iuredicialis. Quæritur enim, Iuréne & piè tamdiu dilata ſit à Iudaico populo templi inſtauratio, an contra.

Nec iurè nec piè intermiſſam fuiſſe templi inſtaurationem, confutata Iudæorum ratione contraria, docet Haggæus. Sic argumentabantur Iudæi:

Eſt tempus deſtruendi & tempus ædificandi, Eccl. 3. v. 3. Nondum autem appetijt tempus, vt ædificetur Domus Iehouæ.

Itaque intermiſſio illa vitio nobis dari non poteſt.

7 De quibus potiſſimùm ſit habita oratio.

Vt

Vt quantum mali in hac re fuerit, manifestum fiat, de quibus in hac oratione præcipuè agatur, videamus. Sequemur autem seriem Locorum Communium Status Iure dicialis, Legem, Consuetudinem, Naturã, Æquum, Pactum.

1. Dei voluntas suprema & iustissima lex est. Volebat autem Deus Templum instaurari: & eam ob caussam excitauerat Prophetas Haggæum & Zachariam, vt essent testes & præcones diuinæ voluntatis.

2. Id quod religiosæ consuetudini Ecclesiæ Israelis diuinitus destinatum fuit, non potuit sine piaculo abiectum iacere. Sed Templum Ierosolymitanum olim ideo ædificatum fuerat, vt ter quotannis conuenirent Israelitæ, & sacro cultu in eo defungerentur. Nondum enim aduenerat illud tempus de quo Christus, Ioan. 4. v. 21. Venit hora quando neque in monte hoc, neque Ierosolymis adorabitis Patrem.

3. Natura quid hac in parte dictet, vel ex illis disputationib. Platonis liquet, in quib. quo loco tẽpla extruenda sint docet: & vetat arma hostibus erepta in Templa inferri. Etsi autem non habitat Deus in templis manufactis. Act. 7. v. 48. volebat tamen Leuiticum & cæremoniarum cultum, qui

παιδαγωγίας Legis pars fuit, in sacra æde Ierosolymis ordine & decenter peragi. De Tabernaculo fœderis dicitur: Et facient mihi Sanctuarium, vt habitem in medio eorum. Ex. 25. v. 8.

4. Ipsa quoque æquitas docet, non minùs sacræ liturgiæ locum, tempus & necessaria adminicula præstituenda: quàm nostris occupationibus, labori, quieti, alimentis, facultatibus. Vt igitur dicere solemus: Οἶκος φίλος, οἶκος ἄριστος: ita dicamus cum Dauide: Gaudio perfusus sum propter eos qui dixerunt mihi: In domum Iehouæ ibimus, Psal. 122. v. 1.

5. Pactum verò quod cum Israelitis pepigerat Dominus, hoc ferebat, vt & statis temporibus Templum adirent, & exules vultu ad templum conuerso preces conciperent. Ac voluit Deus Messiam in templo secundo docere. Itaque non sine grandi peccato, neglecta fuit eius instauratio.

8 Scopus & vsus totius orationis.

1. Magistratus & Ministrorum est pro virili dare operam vt Templũ Domini ædificetur: hoc est vt vera doctrina sonet, & sacra omnia ritè & decenter peragantur.

2. Cauendum nobis est ne eorum similes simus, de quibus Apostolus noster inquit,

Nam

Nam omnes quæ sua ipsorum sunt quærunt, non quæ Christi Iesu. Phil. 2. v. 21.

3. Cauendum etiam ab ea ἀταξίας specie, quæ inuertit ordinem diuinitus institutum, & efficit, vt homo priuata publicis: Oeconomica Ecclesiasticis: profana sacris: corporalia spiritualibus: terrena cælestibus: caduca perpetuis: seipsum denique Deo ipsi anteponat.

4. Cogitemus etiam nos esse κατοικητήριον τοῦ θεοῦ ἐν τῷ πνεύματι. Eph. 2. v. 22. Sed hac de re in sequentibus.

Versus 3.

Lectio 8. Nouẽ. 16. 1579.

Fuit itaque verbum Iehouæ in manu Haggai Prophetæ vt diceret.

De dispensatione oraculorum Dei.

Vt videãt studiosi iuuenes, in libris Prophetarum & Apostolorum, omnes etiam minimos versus, refertos esse amplissima & salutari doctrina, dicemus iam nonnulla de Oraculorum Dei dispensatione: sed ἐπικῶς & temporis ratione habita.

Thesis 1.

Dei oracula Prophetæ דברים: Apostoli λόγια ζῶντα, eloquia viua appellant. Rom. 3. v. 2. Act. 7. v. 38. Græci Oracula soluta oratione prolata, λόγια: ea verò quæ

ligato ſermone proferebantur, χρησμοὺς vocabant. A cauſa efficiente principe, dicuntur λόγια τοῦ θεοῦ: ab efficacia autem λόγια ζῶντα. Hebr.4.v.12. Viuus eſt enim Dei ſermo, & efficax, & penetrantior quouis gladio ancipiti. Iſa.49. v.2. Poſuit os meum tanquam gladium acutum.

Ita Euangelium dicitur δύναμις θεοῦ Rō.1.16.

Theſis 2.

Hæc de Dei voluntate præcipuè agunt.

Dei voluntatem quidam piè diſtinguūt in eam quæ Abſcondita nobis eſt, & in eā quæ Patefacta eſt, & de qua vnctio Spiritus ſancti teſtatur.

Ad Abſconditam pertinent curioſæ & meteoricæ quæſtiones, Cur non omnes homines in Chriſto ſint electi. Cur donum fidei non ſit omnibus commune. Quare Deus, Iacob dilexerit, Eſau autem odio habuerit. Et ſimiles, de quibus non eſt curioſè quærendum. Impietas enim eſt, quærere cauſſam voluntate Dei ſuperiorem.

Patefacta autem Dei voluntas, per fidē, ad Dei gloriam & noſtri inſtaurationem, diligenter inueſtiganda eſt. Non enim modeſtia, ſed impia ſocordia eſt, ea cognoſcere nolle, quæ Deus patefacere dignatur. Ac dignum eſt relatu Theodoreti dictum: οὐ δεῖ ζητεῖν τὰ σεσιγημένα, στέργειν δὲ προσήκει τὰ γεγραμμένα.

Theſis 3.

De hac autem nobis constare non potest, nisi Deus nos alloquatur.

Deus modis quatuor loqui dicitur, aliàs quidem decernendo & mandando. Vt, dixit Deus: Sit Lux. Genes. 1. v. 3. aliàs cõmuni cãdo cõsiliũ. Vt, Faciamus hominẽ ad imaginẽ & similitudinem nostrã, Gẽ. 1. 26. Itẽ, Age, descẽdamus & cõfundamus ibi labiũ eorũ. Gẽ. 11. 7. aliàs, voce cælitus demissa alloquendo, Ex. 20. 18. Deu. 18. 16. aliàs familiariter colloquẽdo ἐν ἐμφάσει, quæ præsentię gratiæ documentum est. Gen. 12. 15. 17. 18.

Thesis 4.

Alloquitur itaque nos, sed vel immediatè, vel mediatè loquendo.

Immediatè olim alloquutus est Adamũ, Noahum, Abrahamum & similes. Certum autem est, neminem sine consternatione Deum se alloquentem audire potuisse. Itaque peculiari gratia fulciri & constabiliri corda piorum, necesse erat: vt testantur exempla Mosis, Danielis, Iesaiæ & multorum aliorum.

Thesis 5.

Quum nos mediatè alloquatur Dominus, magni nos facere sacrum Ministeriũ, quo ille vtitur, æquum est. Iuxta dicta, Qui vos audit, me audit, Luc. 10. v. 16. Item, Quis igitur est Paulus, quis autem Apollos, nisi

Ministri per quos credidistis, & vt cuique Dominus dedit? 1.Cor.3.v.5. Item, Θεοῦ γάρ ἐσμεν συνεργοί. Eodē cap.v.9. Obedite ducibus vestris,& obsecundate.Hebr.13.v.17.

Thesis 6.

Etsi autem penes totam Ecclesiam oracula sua Deus deposuit: tamē eorū ὑπήλυσιν docentium ordini peculiariter cōcredidit. 1.Cor 14.v.29.Prophetæ duo aut tres loquantur, & alij diiudicent. Hoc præcepto ostendit Paulus, distinctos esse in Ecclesia docentium & discentium ordines.

Cæterum, depositā esse penes Ecclesiā Oracula Dei viuentis,ex hisce dictis liquet. Deut.4.v.8. Et quæ est gens ita magna, cui sint statuta & iudicia ita iusta,sicut est vniuersa Lex ista, quam ego do coram vobis hodie? Psal.76.v.6. Notus in Iehuda Deus, &c.Rom.3.v.2, Primarium enim illud est, quòd eis credita sunt eloquia Dei.

Thesis 7.

Cùm in his oraculis Dei, locum habeat ὡπὸς ἔφα,non est cur Ministrorum caussa aliquid eis derogemus, 1.Thess.2.v.13, Acceptum de Deo sermonem quem audistis ex nobis, excepistis non vt sermonem hominum,sed (sicut verè est) vt Dei sermonē, qui etiam agit in vobis qui creditis.

Grauí-

Grauiter itaque peccant, tum qui honorem Deo soli debitum ad eius seruos transferunt, tum qui hominum, quos oderunt, nomine, Dei oracula reiiciunt.

Videas quosdam quibus satis sit Lutherum, Caluinum, Melanchthonem allegasse: vt maximè S. Scripturæ testimonia non adducas. Rursum, reperias nonnullos, qui audito alicuius sibi exosi doctoris nomine, librum aut sententiam statim reiiciant, calculis cognitionem præuertentibus. Georgius Saxonum Dux in horum ordine fuisse videtur. Ferunt enim hunc dixisse: Etsi errores & abusus in Ecclesiam irrepsisse nõ ignoro, nolõ tamen amplecti Euangelium quod Lutherus annuntiat.

Thesis 8.

Quid dicatur attendendum est.

Rom. 12. v. 6. Siue prophetiam, prophetemus pro proportione fidei. 1. Thess. 5. v. 19. 20, Spiritum ne extinguite: Prophetias ne pro nihilo habete. Ergo si quem fidei analoga docere animaduertamus, ne eum reiiciamus.

Thesis 9.

Oraculorum Dei quum sit summa certitudo, fidei πληροφορία in nobis ei respondere debet.

Requirit Deus à nobis, quod ipse dat, videlicet vt non tantùm inferiores gradus, κατάληψις ἢ ὑπόστασις in nobis sint, sed etiam superior, qui est τῆς πληροφορίας. Omnium intelligentium est κατάληψις: vt, Deus est bonus, clemens, iustus: ὑπόστασις eorum est, qui externa sancti Spiritus illuminatione, fidem temporariam nacti sũt: Sed ἡ πληροφορία non omnium est, 2. Thess. 3. v. 2. Atque hic gradus Electos à Reprobis discernit. Tit. 1. v. 1.

Thesis 10.

Militãti Ecclesiæ nullũ grauius malũ accidere potest, quã Prophetiæ intermissio.

Psal. 74. v. 9. Signa nostra non videmus, non est amplius Propheta: & nõ est nobiscũ qui cognoscat vsque quo? Pro. 29. v. 18. Quum nõ est visio, dissipatur populus. A visione, Prophetæ Videntes dicebantur.

Tempore Heli, sermo Iehouæ erat pretiosus, & non erat visio aperta, 1. Sam. 3. v. 1. Eodem cap. v. 21. Rursum apparuit Iehouah in Siloh: quoniam patefecerat se Iehouah Samueli, in Siloh in verbo Iehouæ.

Thesis 11.

Cur autem per sãctos homines potius, quàm immediatè, Deum nos alloqui expediat, causſæ multæ & graues sunt.

1. Maiestas Dei humanæ infirmitati planè

nè intolerabilis. Exod. 20. v. 19. Deut. 18. v. 16. Non addam, dicebat populus Israel, audire vocem Iehouæ Dei mei, neque ignem magnum istum videã ampliùs, ne moriar.

§ II. Fideles sunt Templa Spiritus sancti. 1. Cor. 6. v. 19. Oracula igitur reddi par est ab ijs, qui in eorum dispensatione Dei cooperarij sunt, & dicuntur οἰκόνομοι, μυστηρίων θεοῦ. 1. Cor. 4. v. 1. συνεργοι

III. Quum etiam τὰ αἰσθητήρια, & inter hæc visus & auditus præcipuè, seruire debeant cognitioni, vult Deus vt vocem docentium ἔξωθεν: vocémque Spiritus sancti, ἔσωθεν audiamus. Est enim fides ex auditu: auditus autem per verbum Dei, Rom. 10. v. 17. Præcipuum etiam est charitatis officium, alios de Deo & eius voluntate docere. Hoc itaque homines pios defũgi vult Dominus. Psal. 119.

Consulant autem studiosi, Caluinum Instit. Christianæ lib. 4. cap. 3. Sectione. 1. & sequẽtib. & Augustinũ in proœmio librorum de Doctrina Christiana.

Artificium Rhetoricum Orationis Haggæi ad populum Iudaicum. Lectio 9. Nouemb. 17.

I. Genus Causæ mistum est, quum Propheta noster initiò quidem grauiter accu-

set populum Iudaicum ob intermissam tẽpli ierosolymitani instaurationem, pœnásque ei denunciet: deinde verò eũdem hortetur, vt quàm primùm sacro operi & ædificio manus admoliatur. Est itaque prior pars orationis, Iudicialis: posterior verò, συμβουλευτικὴ.

II. Status διαλογικὸς dominatur in prima parte. Nec piè nec iustè hactenus intermissa est Templi instauratio. Hanc propositionem Propheta noster probat duobus argumentis.

1. A comparatis. Quicunque Ecclesiasticis & sacris, Oœconomica præferunt, grauiter hauddubiè peccant. Sed vos Iudæi id facitis. Argumento sunt domus vestræ laqueatæ, & Templum Domini desertum. Ergo &c. versu 4.

2. Ab effectu. Certũ est maledici trãsgressoribus Legis, iuxta dictũ, Maledictus qui nõ statuerit verba Legis istius faciẽdo illa, Deut. 27. v. 26. Vobis autẽ maledicit Deus. Hanc minorem τῇ ἐπαγωγῇ probat noster Propheta: Seminabitis multum &c. vers. 5.

III. Posterioris partis orationis quæ est συμβουλευτικὴ, Status itidẽ Iuredicialis est. Piè feceritis, & præcipuo vestro bono, si quamprimùm aggressi fueritis Templi Iehouæ

houæ instaurationem.

Probationis argumenta ducuntur.

1. A facili. Ascendite in montem &c. v. 8.

2. A propitia Dei voluntate. Complacebo mihi in ea. eodem versu.

3. A fine. Glorificabor: dicit Iehouah. Eodem versu.

4. A comminatione erga inobedientes. Respicitis ad multum, & ecce parum. v. 9.

5. A caussa impulsiua. Propter Domum meam. eodem v.

6. Ab antegressa pœna, quam Inductione probat, v. 10. 11.

IIII. Orationis schema. Est instar Syllogismi hypothetici disiunctiui.

Aut Templi fabrica susceptа diuinæ benedictionis participes fieri: aut ea neglecta maledictioni vos obnoxios esse oportet.

Atqui vobis benedictione diuina opus est. Quare non erit negligenda aut procrastinanda Templi Iehouæ instauratio.

V. Scopus & praxis totius orationis.

1. Hypothesis. Iudæi è Babylone reduces, neglecta Templi ædificatione, maledictione laborabant: susceptа autem eius instauratione, benedictione diuina fruebantur.

2. Thesis. Maledicti sunt, qui Deo quæ

eius sunt, non deferunt. Econtra benedicti ante omnia quærunt regnum Dei & eius iustitiam Matt. 6. v. 33.

3. Optima in Ecclesia docendi ratio ea est quæ mali fontes aperit, & remedia offert & exhibet. Vt Medici, qui ægrotum curandum susceperunt, à παθολογία exorsi, de morbo primùm agunt: deinde ad φαρμακευτικὴν accedentes, remedia præscribunt: ita peccatores, primùm de magnitudine peccati, deinde etiam de remissione peccatorum, erudiendi sunt.

Huius præcepti exemplum historicum quidem in hac Haggæi nostri concione de Iudaico populo: διπλοῦν autem, in Epistola ad Romanos, extat. Nam vt de hoc solùm dicam, Apostolus, initiò mala quibus genus humanum laborat, peccatum videlicet Originis & eius fructus, quos idem Paulus opera carnis alibi vocat, in lucẽ profert: deinde remedia in doctrina iustificationis sãctificationis & prædestinationis ostẽdit: ac tã dẽ exercitia pietatis diligenter præscribit.

4. Optima & illa docendi in Ecclesia ratio est, quæ cum confutatione τῆς ἑτεροδιδασκαλίας, & reprehensione peccatorum coniungit doctrinam fidei, spei, charitatis: & addit exhortationes pias ad officium faciendum

ciendum. Hac docendi ratione vsum videmus Haggæum. Eandem præscripsit nobis Gentium doctor Paulus, his verbis: Prædica sermonem, insta tempestiuè, intempestiuè: argue, obiurga, exhortare, cum omni lenitate & doctrina, 2. Tim. 4. v. 2.

Ista Anatomicorum more præmittere visum est. Vt enim illi quum sunt humana corpora aperienda, in genere primùm de partibus corporis humani disserunt, eásque ostendunt: postea verò, sigillatim de membrorũ singulorũ positu, fũctione, vsu agũt: ita mihi quoque orationis Haggæi στοματοποίησιν quandam instituere libuit, vt quibus de rebus & quo ordine habita esset, iuniores videre possent. Reliquum erit vt subiũgamus διαίρεσιν singulorum membrorũ. Lectio. 10. Nouemb. 18.

Versus 4.

Nunquid ô vos tempus vobis (aduenit) vt habitetis in domibus vestris, laqueatis, & Domus ista est deserta?

Logica consideratio.

Cõstat hic versiculus primùm Sophisma te Iudæorum quod Propheta noster diluit: deinde, Demonstratione, quam κατὰ βιαῖον opponit Haggæus.

Sic autem argutabãtur Iudæi: Quicquid

intempestiuè fit, malè fit. Nondum autem appetijt illud tempus quod instaurationi sacræ suæ Ædis Iehouah præstituit. Quare intermissio ædificationis Templi nobis vitio dari non debet.

Speciosè ista dicebantur ab iis, qui quæ sua erant, non autem quæ Dei, quærebant.

Maiorem pingere poterãt pulcerrimis de opportunitate & tẽpore dictis, quæ & in sacris & profanis Scriptis occurrunt.

Omni rei est tempus determinatum, & tempus est omni voluntati sub cœlo &c. Eccl. 3. v. 1. & sequentib. Fidus dispensator & prudens, quem Dominus præficiet famulitio τῆ διδόναι ἐν καιρῷ τὸ σιτομέτριον. Lu. 12. v. 42. Redimentes occasionem, quoniam dies mali sunt. Eph. 5. vers. 16. ὁ καιρὸς ὁμοίως παντὸς ἔχει κορυφαν, Pindarus in Pythijs.

Item καλὸν τὸ καιροῦ παντὸς εἰδέναι μέτρον.
Item. ὡς μέγα τὸ μικρὸν ὄξιν ἐν καιρῷ δοθέν.

Porrò Minorem, in qua κενόμυρον est, se probare posse putabãt hac ratione. Hactenus præpedita fuit Templi instauratio, partim Samaritanorũ συμμαχία, partim Regijs edictis, partim necessarijs occupationibus constituendi Oeconomias & politiam. Hæc autem nequaquam accidissẽt si Deus voluisset

voluisset nos cæteris omnibus rebus neglectis, Templo ædificando operam impendere. Potuisset illas remoras & impedimẽta amoliri, &c.

Sed, vt est in Psalmo 94. v. 11. Iehouah cognoscit cogitationes hominũ, quòd sint vanitas. Itaque, vt vocabulis τεχνολογικοῖς vtar, respondet ad hominem & ad rem. Ad hominem seu personam respondet regerendo, tum ὑπομνήσει, Nunquid ô vos tempus vobis? Quasi dicat, Annon pudet, tot à Deo beneficiis affectos, & recens in integrum restitutos, inque patriam reductos, vos vestráque commoda, anteponere glorię Dei? tũ ἀντεναγωγῇ. Reponit enim rẽ grauiorem, videlicet Templum Iehouæ, cuius haud dubiè maior erat habẽda ratio, quàm ædium priuatarum. Realiter autem respõdens, per inficiationem Minoris, & loci à Connexis indicationem: ostendit, etiam in mediis ærumnis & temporum difficultatibus, seruiendũ esse gloriæ diuinæ. Vt enim militans Ecclesia sub cruce triumphat: sic Deo debitum honorem summa cum religione ei defert, etiam quum multiuariam premitur & affligitur. Habet enim persuasum id quod Paulus hisce verbis docuit, Si in hac solùm vita speramus in Christum,

miserrimi omnium hominum sumus. 1. Co. 15. v. 19. Item, Persecutionem patimur, sed in ea non deserimur: deiicimur, at non perimus. Quôlibet mortificationem Domini Iesu in corpore circumferentes, vt etiam vita illa Iesu in corpore nostro manifesta fiat, &c. 2. Cor. 4. v. 9. & 10. Toto sanè cælo errant, qui Templum Domini tum solùm ædificari putant, quum res secundæ sunt: hoc est, qui nos super fundamentum Prophetarum & Apostolorum superstrui, & in regnum æterni Patris, per medios honores, gaudia & successus, traduci posse opinantur. Vt enim exotericus ille monet, ἐν ταῖς δυσχίαις λάμπει τὸ καλὸν: ita Ecclesia sub cruce ingemiscens, adiicit fidei virtutem, virtuti verò scientiam, scientiæ verò temperantiam, temperantiæ verò tolerantiam &c. 2. Pet. 1. v. 5. & 6.

Videamus iam quàm firmam Demonstrationem, Iudæorum sophismati τῇ λεπτολογίᾳ, Haggæus noster opponat.

Eius qui est summè bonus, sapiẽs, iustus, &c. & auctor omnis boni in tota rerum vniuersitate, maior est habenda ratio quàm omnium creaturarum. Hæc propositio est principium, quod diuinitus inscriptum est cordibus hominum, monens vt Creatori bene-

beneficentissimo plus deferamus, quàm omnibus rebus conditis: vt ei promptè & sincerè & constanter obediamus & seruiamus. Iehouah autem Deus noster summè bonus, sapiens, iustus est: & ab eo vno omne donum bonum perfectúmque proficiscitur. Matt. 19.17. Iacob. 1.v. 17. Ergo quum ipse velit sibi ædificari Templum, & in eo debitum cultum deferri, omnia alia negocia & impedimenta missa facere oportet, & huic vni rei dies noctésque incumbere.

Rhetoricum artificium.

Amplificat autem Propheta noster rei indignitatem, figurarum luminibus adhibitis, inter quæ sunt:

1. Apostrophe. O vos Iudæi. quasi dicat, non iam alloquor Ethnicos ἀθέους ἐν τῷ κόσμῳ: sed Iudæos, filios Prophetarum & Pacti quod pepigit Deus cum Patribus: vt ait Petrus Act. 3. v. 25. Talis apostrophe est, Rom. 2. v. 17. Ecce tu cognominaris Iudæus, & acquiescis in Lege, & gloriaris in Deo, &c.

2. Ἐρώτησις. Scilicet iam illud tempus est, quo vos neglecto Templo, priuatas ædes ædificare & ornare par est? Tales ἐρωτήσεις sunt Gen. 3. Ecce Adam quasi vnus ex no-

bis? Item, Dormite & requieſcite, Matt. 26. 3. Ἐφήμα. Eſtne iam illud tempus, quo neglecto Templo priuata ædificia curanda ſunt? Subintelligitur autem reſponſio negans. Nequaquam. Etenim nullo vnquam tempore, maior habenda eſt ratio τῶν βιωτικῶν, hoc eſt, eorum quæ ad hanc vitam ſuſtentãdã faciunt, quàm diuini cultus. Rectè dixit Herodotus, Τὰ τῆ θεῆ πρεσβύτερα, ἢ τὰ τῶν ἀνθρώπων. Paulus autem etiam alia omnia ſeruire vult nominis diuini ſanctificationi. 1. Cor. 10. v. 31, Siue igitur editis, ſiue bibitis, ſiue quid facitis, omnia in Dei gloriam facite.

Lectio II. Nouemb. 20. 1579.

Adplicatio dicti Haggæi ad vſum noſtrum.

Iam verò, vt ab ὑποθέσει ad Theſin progrediamur, firmiter ſtatuere conuenit, nec vllam rem creatã poſſe nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro: nec etiam vllam rem in cælo aut in terra Deo nobis anteponendam: ac timorem Iehouæ theſaurum noſtrum eſſe. Rõ. 8. v. 39. Iſa. 33. v. 6.

Huius autem Theſeos fons eſt, Lex diuina: Diliges Iehouam Deum tuum toto corde tuo, & tota anima tua, & tota fortitudine tua, Deut. 6. v. 5. Luc. 10. v. 27.

Eiuſ-

Eiusdem declaratio illustris occurrit Ieremiæ cap.9.v.23.24.Sic dixit Iehouah, Ne iactet se sapiens in sapientia sua, nec iactet sese potens in potentia sua, nec iactet se dives in diuitiis suis : sed in hoc iactet sese, qui se iactat, quòd intelligat & cognoscat me: quòd ego sim Iehouah qui facio miseri cordiam, iudicium & iustitiam in terra: hæc enim volo,dixit Iehouah.

Hæc quum ita habeant,quis non videat, Deo & eius cultui, omnia seruire debere : nec vllius seu creaturæ seu occupationis maiorem nobis habēdam rationē,quàm Dei & voluntatis ipsius sanctæ ac salutaris?

Quum autem verè dixerit Aristoteles, doctrinam parari Syllogismo & Inductione,his duobus instrumentis vtemur, θέσεως probandæ caussa.

Syllogismi Demonstratiui.

1. Ordo diuinitus institutus, quum sit sapientiæ & beneficentiæ diuinæ illustre documentum,non est inuertendus. Neque enim caussa vlla esse potest, cur de laude sapientiæ lutum cum figulo, id est, homo cū Deo certet. Est autem hic æternus & immutabilis ordo, vt humana & alia omnia diuinis cedant. Infinito enim bono cætera omnia cedere, æquissimum est. Quare di-

uinis multò plus deferendum est, quàm omnibus rebus huius mundi.

2. Effectus finitus, non est conferendus, ne dum anteferendus, caussæ δημιουργικῆ, cuius est immensa bonitas, potentia, sapiẽtia. Nam finiti & infiniti nulla est proportio. Homo est creatura Dei, circumscripta initio & spatio. Psal. 100. v. 3. Cognoscite quòd Iehouah ipse est Deus: ipse fecit nos, & non ipsi nos. Deus autem est Spiritus increatus, æternus, ἄναρχος, omnipotens, &c. Ergo præcipua eius ratio in omnibus rebus & actionibus, habenda est.

3. Præstat morem gerere voluntati, quæ est immutabiliter bona, & cuius omnes effectus boni sunt: quàm ei quæ mutabilis est, & cuius effectus sunt dissimiles.

Diuina voluntas immutabiliter bona est,
Humana mutabilis est.

Ergo illi potiùs obtemperandum, quàm huic.

4. Occupationes quæ vitæ spiritualis propriæ sunt, & Dei gloriæ, ac nostræ instaurationi seruiunt, non sunt vel intermittendæ vel procrastinandę propter eas occupationes quæ animalis vitæ propriæ sunt, ac ei soli seruiunt. Sed ad priorem ordinem pertinent pietatis exercitia: ad posteriorem, nego-

negocia œconomica & ciuilia.

Etsi igitur hæc non sunt prætermittenda, eorum tamẽ causſa illa non sunt vel intermittenda, vel perfunctoriè & leui brachio peragenda.

Inductio, de Rebus.

Deo optimo maximo nemo debet anteferre 1. seipsum. 1. Cor. 6. v. 19. Non estis vestri iuris. 2. Vitam suam. Matt. 16. v. 25. Quisquis perdiderit animam suam mea causſa, inueniet eam. 3. Patriam, parentes, cognatos, liberos, opes. Matt. 19. v. 29. Et quisquis reliquerit domos, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut liberos, aut agros, causſa nominis mei, centuplicia accipiet, & vitam æternã hæreditatis iure possidebit. 4. Animi dotes, 1. Cor. 4. v. 7. Quid autem habes, quod non acceperis? quod si etiam accepisti, quid gloriaris vt qui non acceperis? 5. Honores & officia publica. Psal. 2. v. 10. 11. 12. Et nunc Reges prudenter agite, erudimini Iudices terræ. Seruite Iehouæ in timore: & exultate in tremore. Osculamini Filium &c. 6. Mortem suam: nam etiam hac Deum glorificare debemus, Ioan. 21. v. 19. Et Paulus piè sperans, inquit: Magnificabitur Christus in corpore meo, siue per vitam siue per

mortem. Philipp. 1.v.20. Nec dissimile est iudicium de re alia. Ergo nos totos & omnes nostras occupationes, omnia dicta & facta, sanctificationi Diuini nominis seruire decet. Iuxta dictum Pauli: Et quicquid egeritis sermone aut facto, in nomine Domini Iesu facite, gratias agentes Deo & Patri per eum. Col. 3.v.17.

De Religiosis studijs, ἐμβλήματα.

1. Erasmus iure reprehendit Italos quosdam, Politianum & alios, quòd cum studijs doctrinarum non Christianismum, sed paganismum quendam coniungerent.

2. Christianorum enim studia sacra esse debent, non profana.

3. Sacra quidem erunt, si præluceat eis fides: & προγνωσία pariat in nobis pietatem erga Deum, & studiũ benemerendi de proximis.

4. Profana autem erunt, si rerum inquisitio & cognitio, seruire cogatur gloriæ & quæstui, aliisque cupiditatibus.

5. Vt autem Iudæorum labores maledicti erant, quum Templo neglecto, domos priuatas & sua compendia curarent solicitè: ita maledicta sunt eorum studia, qui neglectis precibus, concionibus sacris, sacramentis, Ethnicorum more philosophantur,

tur, vt eruditionem aliquam sibi parent, quæ olim vanis eorum desideriis seruiat.

6. Artis Medicæ, Philosophiæ, Iurisprudentiæ studiosos, studia sua sanctificare decet, precibus, & lectione S. Bibliorum.

7. Theologiæ studiosis, Verbi diuini Ministris, gloriæ Dei & Sanctorum instaurationi seruiendum est, eóque nomine diuinarum rerum cognitio quærenda & petēda à Deo.

8. Rectè enim D. Hieronymus, in Christi militia, inquit, ne quæras seculi lucra.

Dominus noster Iesus Christus det nobis, vt superna curemus, non terrena: & sanctificet nos totos & omnia studia nostra, vt gloriæ diuini nominis seruiant. Amen.

Versus 5. *Lectio 12. 30. Nouēb. 1579.*

Nunc ergo sic dixit Iehouah exercituum, Ponite cor vestrum super vias vestras.

Tria hoc loco expendemus, Phrasin & vocabula, Hypothesin, & Thesin.

Hæc loquutio, Ponere cor super aliquid, significat rem aliquam sic expendere, vt eā intelligas penitiùs, seruiente huic inquisitioni sensuum ministerio. Ezech. 40. v. 4. Fili hominis, vide oculis tuis, & auribus tuis

audi,& pone cor tuum ad omnia quæ ostẽdo tibi. Econtra non ponere cor super rem aliquam, phrasi Hebraica significat, nihili facere, nec aduertere siue quid triste fiat aut dicatur. Isa. 57. v. 1. Iustus perit, & non est qui ponat super cor: & viri misericordes congregantur,nec est qui intelligat, quòd propter malum venturum congregatur iustus ille. His autem loquendi formulis Spiritus sanctus attentionem captat, Pone super cor tuum: Qui habet aures ad audiendum, audiat. Matt. 13. v. 9. Quídni autem Deo loquente audiamus omnes, & eodem agente, aduertamns animos ad opera Iehouæ? Psal. 107.

Cor. Cor hominis propriè significat, vitæ in corpore humano dominum, qui per venas & neruos aliena beneficia accipit,per arterias autem omnibus partibus corporis cõmunicat Spiritum vitalem, qui est flamma viuifica, non dissimilis naturæ cælesti, quũ suo calore non solùm membra omnia foueat,sed etiam actiones adiuuet. Admonet autem nos de multis magnis rebus, inter quas istæ occurrunt.

1. Vt sine cordis, quod Spirituum vitaliũ fons est,calore & beneficiis, corpus humanum incolume esse nequit: ita sine Spiritu sancto

ſãcto & eiº donis nõ poteſt Eccleſia florere.

2. Quemadmodum autem venæ & arteriæ mutuis iunguntur orificiis, mutuas tradunt operas, alendo & viuificando: ſic mutua communicatio eſſe debet officiorum, ſiue Eccleſiam ſeorſum, ſiue in genere hominum genus ſpectes.

Cordis autem vtilitates ſunt,

1. Totum corpus viuificare: ſecundum illud Ariſtotelis dictum: Καρδία ἐστὶν ἀρχὴ βίκ πᾶσι μέρεσι, καὶ μεταδιδοῖ θερμασίαν ζωτικὴν πᾶσι, καὶ πνεῦμα τῷ ἐγκεφάλῳ καὶ ἥπατι.

2. Actionum ſummarũ, in cerebro & neruis, inſtrumenta ſubminiſtrare. Inſtrumenta proxima voco, Spiritus vitales: Actiones, cogitationem, ſenſus, motus.

Sed his omiſſis tranſlatas vocabuli Cordis ſignificationes, breuiter obſeruemus.

Cor itaque κατ' μεσωνυμίαν medium ſignificat. Exod. 15. v. 8. Pſal. 46. v. 2. Cor maris. De Sepulcro Domini noſtri Ieſu Chriſti dicitur: Filius hominis erit in corde terræ tres dies &c. Matt. 12. v. 40.

Idem κατ' σωνεκδοχὴν ſignificat vim intelligentem & eligentem in homine. Rom. 10. v. 10. Corde creditur ad iuſtitiam. 1. Tim. 1. v. 5. Finis mandati eſt caritas ex corde puro, conſcientia bona & fide non ficta.

Inde φεάτεις, Loqui ad cor Ieruſalem. Iſ.

40. v. 2. Corde intelligere. Matt. 13. v. 15. Corde honesto bonóque auditum sermonem retinere, & fructum adferre per patientiam. Lu. 8. v. 15.

Via. Via, hoc loco significat cogitationes, cõsilia & occupationes Oeconomicas, Ciuiles & sacras: quibus sic dediti erant Iudæi, vt τὰ ὑπήγεια, terrena & caduca, magis sibi cordi esse, quàm cælestia, æterna & spiritualia, re ipsa testarentur. De hac præposterа vitæ ratione loquitur Ecclesiastes, in toto suo libro, cuius propositio est: Vanitas vanitatũ & omnia vanitas. Eccles. 1. v. 1. Et ante eum Psaltes regius: Profectò vniuersa vanitas omnis homo stans, Selah. Profectò in imagine ambulat vir, profectò in vanum tumultuantur: congregat & nescit quis colligit ea. Psal 39. v. 6. & 7.

Hypothesis.

In ὑποθέσει primùm sententiam, deinde eius vsum indicabimus.

Sententiam D. Hieronymus piè & paucis in hunc modum exposuit: Quia, inquit, dicitis non est tempus ædificandæ domus Domini, & ipsi habitatis in habitaculis quæ sũt in ima demersa: Domus autem mea deserta est: considerate iubente me Domino, & vobis in memoriam redigite, quæ feceritis

ceritis & quæ passi sitis.

Res ipsa loquitur, Deum vobis iratum: quum eius de cælo patefaciētis iram suam, aduersus iniustitiam & impietatem vestrā tam sint manifesta iudicia.

Vsum declarant hæ Theses.

1. Conciones Prophetarum & Apostolorum ad rerum ipsarum αὐτοψίαν, & operū Iehouæ obseruationem, reuocabant auditores: sic vt non solùm quid diceret, sed etiam quid Deus faceret, intelligerent, & ad Dei gloriam profiterentur. Iuxta illud, Ingrediar in potentias Domini Iehouæ: recordabor iustitiæ tuæ solius. Deus docuisti me ab adolescentia mea, & hactenus annunciaui mirabilia tua. Psal. 71. v. 16. 17. Neque verò ea solùm quæ nobis priuatim præstitit Deus, grata mente perpendere decet: verùm etiam illa, quæ & olim & hoc seculo in Ecclesiam contulit beneficia, magnifacere & auctorem celebrare, æquum est.

Vt enim olim Israelitæ liberationem è seruitute Ægyptiaca, & alia beneficia in deserto & in terra Canaan maioribus suis sibique præstita, in S. Demegoriis & in Psalmis repetebant: sic nos, exhibitionem Filij Dei, collectionē Ecclesiæ inter Gentes,

παλιγγενεσίαν mirandam eiusdem, repurgationem doctrinæ cæleſtis conſiderantes, gratias agamus Filio Dei Domino noſtro Ieſu Chriſto, & vitam noſtram iuxta eius præſcriptum inſtituamus.

2. Quum ſapienter veréque dictum ſit à Solomone: Eſt via recta coram viro: & nouiſſimum eius, via mortis. Prou. 16. v. 25. etiam ij qui ſunt in Eccleſia hortandi ſunt, vt quam viam ingreſſi ſint, diligenter ſecũ reputent.

Sic enim φιλαυτίας malum faſcinare ſolet homines, vt dum bona tantùm ſua adſpiciunt & magni faciunt, mala tegunt & minuũt: ſecuri tãdẽ in vtrãuis aurẽ dormiant: ſibipſis etiam in rebus malis applaudãt: & ſe ſapere putent, dum ὀπὸς λεωφόρε incedere nolunt.

Lectio. 13. Calendis Decembr.

Theſis, de Cenſura vitæ & ſtudiorum humanorum.

Iam verò vt ab hypotheſi ad theſin rectà progrediamur, & de viæ quam quisq; mortalium ingreſſus eſt, diiudicatione agamus: ne iunioribus difficile ſit rerum, de quibus dicturi ſumus, ſeriem obſeruare, more noſtro ἀφορισπῶς omnia delineabimus, & vnde petita ſint, oſtendemus.

Aphori-

Aphorismus 1.

Vult Deus viam vitæ nostræ accuratè à nobis aspici. Iuxta dicta. Psal. 32. v. 9. Ne sitis sicut equus & mulus quibus non est intelligentia, &c. Pro. 12. v. 15. Via stulti recta est in oculis eius: & qui obtemperat consilio, sapiens est. Pro. 15. v. 19. Via pigri est quasi semita spinosa: semita autem rectorũ est eleuata. Pro. 16. v. 9. Cor hominis excogitat viam suam: Iehouah autẽ dirigit gressum eius. Psal. 90. 12. Fac vt memoremus dies nostros, & sic redde nos intelligentes.

Quicquid agis prudẽter agas & respice finẽ.

Pythagoræ versus: Πῇ παρέβην, τί δ' ἔρεξα, τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη.

Lapsus vbi, quid feci, aut officij quid omissum est.

Aphorismus 2.

Id vt sapienter & vtiliter fiat, Dei iudicium, non carnis intelligentiam, sequi conuenit.

Nam de ea via, quam caro probat & ostendit, dicitur: Est via quæ videtur homini bona, & exitus eius ducunt ad mortẽ, Pro. 14. v. 12. Et dulcissima est Dei promissio, Erudiam te, & docebo te qua via ambules: dirigã te oculo meo, Psal. 32. v. 8. Quotiescunque igitur ἐν τριόδῳ λογισμῶν constituti sumus: huius diuinæ promissionis memores, precemur cum Dauide: Doce me Iehouah viam tuam, & deduc me in via plana, propter aduersarios meos, Psal. 27. v. 11. Ingrediamur etiam sanctuarium Dei. Psal.

73.v.17.id est,à causſis secundis ad primã, summè iustam, sapientem & bonam ascẽdamus, & in eius beneplacito acquiescamus.

Aphorismus 3.

Hoc qui religiosè faciunt, quem habeãt ἔφορον quem ὁδηγὸν, quos ἐργοδιώκτας, secum reputent: discántque rectè discernere opera Iehouæ, vias hominum, bona & mala, facienda & fugienda, hominúmque nouissima.

Aphorismus 4.

Deus est ἔφορος seu inspector vniuersorũ. Psal.53.v.2. Deus è cælo prospexit super filios hominum vt videat an sit intelligens, requirens Deum.

Aphorismus 5.

Spiritus sanctus est ὁδηγὸς Sanctorum: caro autem transuersos rapit homines animales. Ioan. 16. v. 13. Spiritus veritatis deducet vos in omnem veritatem. Rom.8. v. 13. Si secundum carnem vixeritis, moriemini: sed si Spiritu actiones corporis mortificetis, viuetis.

Aphorismus 6.

Piorum ἐργοδιώκται sunt fideles vtriusq; Testamenti Ministri, quos fide & vita inculpata prælucere oportet. Ier.6.v.27. Propugna-

pugnaculũ posui te in populo meo & munitionem: cognoscas itaque & probes viã eorum. De Iudæis ait Paulus: Confidisque te ducem esse cæcorum, lumen eorum qui sunt in tenebris, eruditorem insipientium &c. Rom. 2. v. 19.

Aphorismus 7.

Opera Iehouæ duplicia sunt, propria & aliena: vtraque autem gloriæ eius seruiunt, Isa. 28. v. 21.

Propria Dei opera sunt misereri, benefacere: aliena, irasci, maledicere &c. Psal. 75. v. 8. Deus iudex est, hunc humiliat, & illum exaltat.

Aphorismus 8.

Via hominum vel bona, Domini, iustorum, antiqua, fidei est: vel mala, Caini, iniustorũ, noua, incredulitatis. Psal. 1. v. 6. Quoniam nouit Deus viam iustorum, & via impiorum peribit. Act. 14. v. 10. Non cessabis inuertere vias Domini rectas? Nunc igitur ecce manus Domini contra te erit, &c. Ierem. 6. v. 16. Sic dixit Iehouah, State super vias & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ nam sit via bona, & ambulate in ea: & inuenietis requiem animæ vestræ. et dixerunt, non ambulabimus. De Apollo dicitur quòd fuerit καταχθόνιος

τὴν ὁδὸν Κυρίου. Act. 18. 25. Et doctrina Euangelij Via dicitur, Act. 19. v. 23. quia de eo agit, qui de semetipso verè testatus est, dicens: Ego sum via, veritas & vita.

Aphorismus 9.

Bonorum & malorum quæ nobis eueniunt, quum Deus suo modo auctor sit, rectè de his iudicandum est. Thren. 3. v. 37, Quis est igitur qui dixit, & fuit, & Dominus non præcepit? Aut si ex ore Altissimi, non egredientur mala & bona? Loquitur de malo pœnæ. Malis nunquam bene est, ídque ipsorum culpa: econtrà bonis nunquam malè est, ex Dei misericordia. Nam malis etiam, bona "in malum, & bonis etiã mala in bonum cedunt.

Mensa in laqueum versa.

Aphorismus 10.

Facienda & fugienda complexus est Isaias hoc dicto: Desinite malefacere: discite benefacere, cap. 1. v. 16.

Iustus Ionas iunior ante mortem hoc distichon recitasse fertur:

Quid iuuat innumeros scire atque euoluere casus,
Si fugienda facis, & facienda fugis?

Respondit Nicolaus Hemingius:

Et iuuat innumeros scire atque euoluere casus,

Si

Si facienda facis, & fugienda fugis.

Huc pertinet præceptum Dauidis: Venite filij, & auſcultate mihi, timorem Iehouæ docebo vos. Quis vir ille qui vult vitã, cupítque dies videre bonos? Cuſtodi linguam tuam à malo, & labia tua à loquendo dolum. Declina à malo & fac bonum: inquire pacem & perſequere eam. Pſal. 34. v. 12.13, &c.

Aphoriſmus 11.

Lectio 14. Decẽb. 2.

Nec ſolùm anteactæ vitæ fabulam, ſed etiam eius nouiſſimum inſpicere conuenit.

Nam ſæpiſſimè magna pars vitæ improborum feſtiuæ comœdiæ: piorum autem lugubri tragœdiæ ſimilis eſt. Sed nouiſſima illorum triſtia: horum verò læta ſunt. Pſal. 73. v. 17.18. Donec ingrederer Sanctuarium Dei, & intelligerem nouiſſimum eorum. Profectò in locis lubricis poſuiſti eos, corruere facis eos in deſolationem. Hæc impiorum ſors eſt: ſed de piis idem, Pſal. 37. v. 37. Obſerua perfectum, & vide rectum, quia nouiſſimum tali viro pax. Hæc omnia illuſtrari poterunt parabola de Lazaro & Epulone. Luc. 16.

Aphoriſmus 12.

Qui neglecta hac vitæ ſuæ inſpectione,

seipsos & sua magis quàm Deũ & diuina curãt, iusto Dei iudicio traduntur in reprobã mentem, sic vt summa cum ignominia sua, faciant quæ minimè conuenit, Rom. 1. v. 28.29.&c.

Versus 6.

Seminabitis multum, & inferetis parum: cõedetis, & non saturabimini: bibetis, & non inebriabimini: induetis vos, & non calefietis: & qui se locauerit mercede, locabit se mercede (quæ erit ac si decideret) *in sacculum pertusum.*

Enallage temporis hîc obseruetur. Verbis enim futuri temporis, tanquam præteriti & præsentis vtitur, vt primùm quidem animos Iudæorum reuocet ad præteritorum & præsentium rerum actionum & malorum considerationem: deinde etiam, vt quid ipsis, nisi resipiscant, & Deo quæ eius sunt tandem aliquando dent, expectandum sit, inde colligãt. Nota sunt dicta: Prometheus post factum: ὀψὲ τὰ δεινὰ φρονιμώτερος. Item, Quæ nocent, docent. Item, Malo accepto, stultus sapit. Fatẽdum tamẽ est, filios quidem huius seculi, acceptis plagis nihilo fieri prudentiores aut meliores: Dei autem filios sub paterna ferula emendari & proficere. Atque vt hi quidem à Domino

Domino correpti, seruentur: illi verò inexcusabiles fiant, istiusmodi reprehensionibus Prophetæ vtuntur.

Verbum inebriari, hoc loco non de ea ebrietate accipiendum est, quæ à Deo prohibita, taxatur ab Esaia, cap. 5. v. 22. Væ iis qui sunt potentes ad bibendum vinum, & hominibus robustis ad miscendũ inebriantia: sed de moderato vini vsu qui siti restinguendæ & liberali voluptati seruit, de quo Ioan. 2. v. 10. Omnes primò bonum vinum apponunt, & quum *conuiuæ* inebriati fuerint, μεθυσθῶσι, *sitim expleuerint*, tunc id quod deterius est, &c. Psal. 104. v. 15. Vinũ lætificat cor hominis, vt faciem nitere faciat præ oleo. Pro. 31. v. 6, Date sechar pereunti, & vinum iis qui amaro animo sunt. Vt bibat, & obliuiscatur egestatis suæ, & calamitatis suæ non recordetur ampliùs.

De Maledictionis diuinæ documentis & effectis.

Oportet nos, sententiæ declarandæ & demonstrandæ gratia, Syllogismum ὑποτύπωσιν, idque Geometrarum exemplo. Eius autem scopus est, Iudæos Legis violatæ arguere & conuincere. Sanis enim consiliis Prophetarum locum nunquam dedissent, nisi de morborum & malorum, quibus la-

borabant, magnitudine & periculis, plenè fuissent edocti.

Maledictio diuina, iustissima pœna est violatæ Legis Dei. Deut. 27. v.26, Maledictus qui non statuerit verba Legis istius faciendo illa. Psal.119, Maledicti qui declinant à mandatis tuis. Gal. 3.v.10.

Deus autem vobis Iudæis maledixit hactenus, & adhuc in vos animaduertit. Itaque certum est vos reos esse violatæ Legis Dei.

Minorem probat Inductione, in qua iuniores notabunt,

1. Fontem. Deut.28. v.38. Semen multũ educes ad agrum & parum colliges: quia absumet illud locusta. Vineas plantabis & coles, & non bibes vinum &c.

2. Expolitionem. Mich. 6. v.13.14, Ego quoque ægrotare faciam te, percutiendo te, desolabo te propter peccata tua. Tu cõedes, & non saturaberis: & humiliatio tui erit in medio tui: tanges *vxorem* & non eiiciet, *id est, non pariet tibi liberos*, & quos eiecerit, dabo gladio. Tu seminabis, sed non metes: tu calcabis oliuas, sed non vnges de oleo: mustum, sed non bibes vinum.

3. Formam. Iudæi, sementem copiosam faciebant, parum autem metebant: edebãt,

sed

sed non ad satietatem: bibebant, sed sitim non explebant: vestitu vtebantur, sed non calefiebant: pecuniam colligebant, sed in pertuso sacculo. Nec dissimile est iudiciũ de omnibus eorum laboribus, & rebus Oeconomicis & Politicis. Ergo vel ex eo quòd labor eorũ inanis ac benedictionis expers fuit, colligi potest, Deum Legis suæ transgressoribus maledixisse.

4. Documenta Diuinę seu benedictionis seu maledictionis. Benedictio œconomica est, copiosa messis laborem & semina terræ mandata multipliciter exsuperans: moderata cibi & potus satietas: vestitus honestus & commodus: χρημάτων ὄπωρα & alia de quibus agitur Psal. 128. Deut. 28. Leu. 26. Ex ijsdem locis petere licebit species Ciuilis benedictionis, de quibus aliàs dicemus. Maledictionem verò non solùm bonorum priuatione, sed etiam malorum Iliade definire oportet. Hæc non satis est theoricè tantùm nosse, ad vsum nostrum omnia transferenda sunt, vt discamus non modò alieno malo sapere, alieno bono proficere: sed etiam nostris malis docti ad meliorem frugem conuertamur: bonis nostris quæ gratis à Deo accepimus, exhilarati, gratitudinem nostram & obediendi stu-

dium Deo probemus. Verùm de his aliàs quoque dicetur.

Lectio 15. Nouẽ. 4.

Versus 7.

Sic dixit Iehouah exercituum, Ponite cor ve 5
strum super vias vestras.

De Theologici studij Censura,
παρένβασις.

Vt ab οἰκονόμος de Oeconomia & Agricultura, ad aliam hypotheſin, de Theologia 10
eiúſque ſtudio, tranſeamus: illud initiò notandum, viæ eam conferri, & in ea verſantes, iter facientibus. Pſal. 119. v. 1. Beati integri in via, ambulantes in doctrina Iehouæ. v. 4. Vtinam firmentur viæ meæ, ad cu- 15
ſtodienda edicta tua, v. 14. Via teſtimoniorum tuorum delector, præ omnibus diuitiis, v. 27. Viam mandatorum tuorum fac vt intelligam: & meditabor mirabilia tua. 29. Viam falſitatis amoue à me, & doctrinã 20
tuam largire mihi. 30. Viam veritatis elegi: Leges tuas mihi propoſui.

Etſi autem Propheta in eo Pſalmo in genere loquitur, de omnium fidelium ſtudio: nihil tamen vetat, quo minus illius dicta 25
quædam referamus ad eos, qui auditoribus ſuis doctrinæ cæleſtis lampada præferre, & vitæ integritate doctrinam ornare officij nomine

nomine debent.

Vt autem via quadã & ordine vtamur, Emblemata de ſtudij Theologici Via, hoc loco diſponemus κατ' ἀντίθεσιν Contrariorum, quorum eſt eadem doctrina, & quæ iuxta ſe poſita magis eluceſcunt.

Sacrarum Literarum Candidato, ſtudij ſui viã ſuper cor ponenti (vt Hebræa phraſi vtar) hæc perpendenda ſunt.

1. Viator. Vt viator in triuio ſtans, de recta via, de duce fido, déque multis aliis ſeriò cogitat: ſic ſacrarum literarum ſtudioſis, de recta diſcendi via, déque duce & adminiculis curſus, ſæpe ſerióque cogitandũ eſt.

Scelerata enim negligentia & ingratitudo eſt, ſi quis, quam ſtudiorum viam ingreſſus ſit, ſecum non reputet, nec vllo veritatis cognoſcendæ deſiderio afficiatur: ſimiliſque ſit illis, de quibus Apoſtolus noſter dicit: Semper diſcentes, ſed quæ nunquam ad veritatis cognitionem venire poſſint. 2. Tim. 3. v. 7.

2. Via veræ doctrinæ Legem & Euangelium diſtinctè complectitur. Econtrà ſemita mendacij eſt, quæ Euangelium in Legem transformat, & humana commenta addit. De amplitudine illius dicitur in Pſal. 119. v.

96. In quauis perfectione vidi finem: sed lata sunt præcepta tua valdè. Cætera doctrinarum genera suas habent metas: Theologia autem sic patet, vt à nobis in fidei via agentibus, ex parte solùm, cognoscatur. 1. Cor. 13. v. 9. Ac Lex quidē παιδολογίαν, Euangelium verò, προφητικὴν docet: sic tamē vt mutuas operas tradant.

3. Dux. Christus Iesus dux, via, veritas, vita, doctor noster est. E diuerso Sathan in errores abducit mentes à se fascinatas. Christum igitur audiamus. Matt. 17. hunc sequamur: nec eius loco Lutherum, Caluinum, denique mortalium quenquam quantumlibet pietate ac doctrina excellentem, substituamus. Nam ne quidem Gentium ille doctor Paulus, quenquam fidelium de suo nomine dici voluit. 1. Cor. 3. Et certissimum est id quod de sectarum studiosis Galenus docet: Eos cæcos & surdos fieri, sic vt nec videant nec audiant, quæ tamen alij facilè percipiant.

4. Periodus. Sapientiæ stadium ingressus à Deo initium faciat, σὺν θεῷ progrediatur, & ad eūdem qui summum bonum, summa sapientia est, eorum quæ à tergo sunt oblitus, strenuè contendat.

In hoc stadio mira periodo, reducimur

ad

ad eum,à quo ortum duximus. At qui mẽdacij viam ingressi sũt, à Deo ad creaturas, à bono summo ad mala conuersi,ínque Sathanæ casses coniecti,tandem miserè pereunt.

Termini laterales. Cauendum ne deflectamus ad dexteram, vel ad siniſtrã. Deut.28. Ies.23.

Veritatis enim tramitem nos sectari cõuenit,ne erremus, & incidamus in tetros errores & furores.

Vt turpe astantibus extra chorum saltare:sic periculosum està vero deflectere:pernitiosum, nunquam in viã veritatis redire.

6. Deductores. Deductores in hac via sunt, quibus dictum est: Vos estis lux mũdi. Matt.5.

Vt magna gratia & reuerentia debetur ijs qui veritatis lampadem nobis præferũt: sic execrabiles nobis esse debent seductores qui sua sophistica in mendacij deuia abducunt. Deut 18.Matt.1.

7. Comites. Habemus in hoc itinere eos omnes comites quos eiusdem fidei communio nobis coniunxit.

Ne autem aspernemur Medicorum, Iuris Consultorum & aliorum piorum dona & iudicia: sed cogitemus eos esse nostros

συνεκδήμους, ac laudemus eos quos videmus Dei dona ἀναζωπυρεῖν.

8. Statuæ Mercuriales. Debitam etiam venerationem deferamus primò quidem Patrum Scriptis, deinde & Philosophorum selectorum de operibus Dei & Rerum natura testimonijs. Illis enim fidei analoga docentibus, his operi & ordini diuino consentanea dicentibus, nō est cur reclamemus.

Profectus huius manifestus sit in omnibus.

9. Progressio. Vt in vitæ innocentia, sic etiam in Sapientiæ studio, quos hactenus fecerimus & quos nunc faciamus progressus, considerandum nobis est.

Cogitemus nos quoque excitari ad officiū faciendū illis obiurgationibus negligētiæ circa necessariā doctrinā. Matt. 15. v. 16. Adhuc & vos sine intelligentia estis. Itē. Vos quos oportuit pro tēporis ratione doctores esse, rursus opus est doceri quæ sint elemēta initij eloquiorū Dei. Hebr. 5. v. 12.

10. ἐφόδια Sacra Biblia viatici loco sunt. Ex iis petere licebit quæcunque faciunt ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem & ad institutionem quæ est in iustitia. 2. Tim. 3. v. 26.

11. Impedimenta. Plurimum remorantur S. Literarum studium honorum opúmque desiderium, & doctores instabiles &c.

Itaque

Itaque Dauid precatur Psal.119.v.37. Auerte oculos meos ne videant vanitatem. 67. Priusquam humiliarer ego errabam. 113. Instabiles odio habui, legem autem tuam dilexi. Item, si quis cisternas sibi fodiat, fontibus neglectis, hoc est, si quis omissa Biblion lectione, commentaria hominum legēs omnem ætatem terat.

12. Lucerna. In caliginoso hoc mundo prælucet nobis fides & agnitio Christi, celebrata in Euangelio. Psal.119, Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine, & lumē semitis meis.

13. Sermo. In hac via vtēdum eo sermone, quo vsi sūt Prophetæ & Apostoli de rebus diuinis loquentes.

Peregrina oratio, nouam religionis doctrinam peperit, Scholasticam videlicet Theologiam. Ideo Paulus sapienter monuit, cauendum nobis esse à κενοφωνία 1. Tim. 6. v. 20. Timothee, depositum serua & auersare τὰς βεβήλους κενοφωνίας, καὶ ἀντιθέσεις τῆς ψευδωνύμου γνώσεως.

14. Doctrina. Doctrinis varijs & peregrinis ne circumferamur, Hebr. 13. v.9. Item, Si quis diuersam docet doctrinam, nec accedit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei quæ secundum pietatem est,

doctrinæ,is turget nihil sciens ,sed insaniens circa ζητήσεις καὶ λογομαχίας , ex quibus nascitur inuidia,lis,maledicentiæ, suspiciones malæ &c.1.Tim.6.v.4.& 5.

15. Scopus. Omnia nostra studia , seruire debent gloriæ Dei & ædificationi Ecclesiæ.

Mercenarij omnia ad quæstum referũt, hæretici ad gloriam & opes aucupandas. Vtrique ventri suo , non autem Domino nostro Iesu Christo,seruiunt.Rom.16.

Actio 16. Decēb. 1579.

Versus 8.

Ascendite in montem , & adducite illinc ligna ,& ædificate domum : & complacebo mihi in ea , & glorificabor,dixit Iehouah.

Quatuor argumentis in hoc versu probat Haggæus Propheta, Templum Domini,quàm primùm esse instaurandum.

1. A facili.Certum est,occasiones rei bene gerendæ,esse præclara Dei dona, quorũ interuẽtu fit, vt ea quæ difficillima fuerãt, facilia & expedita fiant. Deus autem vobis præclaram Templi extruendi occasionem subministrauit. Argumentum est, quòd omnes circumstantiæ,huic instituto egregiè iam respondent: & illa impedimenta , quæ hactenus vos remorata sunt,è medio sublata sunt.Quare agite, ô Iudæi , ne desitis vestro

ſtro muneri. Aſcendite in montem, adferte ligna, ædificate Templum, &c.

Theſis. Quum quid à nobis fieri velit Dominus, non ſolùm expreſſo verbo teſtetur, ſed etiam adminiculis rei bene gerendæ ſubminiſtratis, iuuet, demus operã ne vnquã noſtro officio deſimus, & vt occaſione arrepta rectè vtamur.

Demoſthenes in Olynth. 1. Occaſionis vox nihil aliud eſt, quàm diligens temporis & cæterarum circunſtantiarum conſideratio. Item, Grauiſſimæ & ſapientiſſimæ ſunt occaſionum conciones, eædémque perſpicuæ, nec ſine pernicie negliguntur. Studioſi adoleſcentes ne quam proficiẽdi in literis & moribus opportunitatem negligant: ſed oblatam promtè, gnauiter & conſtanter arripiant & ſuis vſibus accommodent.

2. Ab æquo. Aequiſſimum ſanè eſt, nos ijs gnauiter & religiosè defungi, quæ Deo placere intelligimus. Atqui de Templo dicebat Dominus: Complacebo mihi in ea. Ergo &c.

Obiectio ἀνυπονόμαστος. Deus excelſiſſimus in Templis manufactis non habitat. Act. 7. Complacebo mihi in Templo, Hagg. 1. v. 8. Ergo è duobus alterum falsò dicitur.

Reſpondeo. Nego conſequentiam, quia in antecedente eſt ignoratio elenchi ſeu probationũ. neque enim κατ' αὐτὸ illa dicuntur. Stephanus Domini dictum, (quod apud Ieſaiam cap. 66. v. 1. legitur) Cælum mihi ſedes eſt: Terra autẽ ſcabellum pedum meorum, allegans, agit de Dei omnipræſẽtia, qua ipſe infinitus, omnia implet. Ier. 23. v. 24. 24. Nunquid Deus de propinquo ego ſum, & non Deus de longinquo? Num occultabit ſe quiſpiam in occultis, & ego non videbo eum, dixit Iehouah? Annon cælũ & terram ego impleo, dixit Iehouah? Hæc omnipræſentia eſſentialis Dei proprietas eſt quæ nulli creaturæ competit.

Haggæi autem dictum, de ſpeciali Dei præſentia, quæ gratiæ eſt, & de Dei δόξῃ accipiendum eſt. Vt olim Tabernaculum in Siloh, poſtea Templum Salomonis Deo placuit inhabitare, & in illo reſponſa & oracula Seruis ſuis dare: ita poſthac Templo ſecundo aderit, & cultus per fidem in eo ſibi præſtitos, boni conſulet.

ἀπορία. Caro Chriſti implet oĩa. Eph. 4. 10.

Ergo non ſolùm Deus omnium Creator, ſed etiam hæc creatura eſt vbique.

Reſpondeo, Duplex eſt fallacia in hoc Paralogiſmo, Homonymiæ primùm. nam quod Paulus de Chriſto in concreto dicit,

id perperam à nonnullis in abstracto de assumta natura intelligitur: deinde Accidentis. nam quod de donis, quibus omnia is implet (de cuius plenitudine omnes accepimus gratiam pro gratia) rectè dicitur, vitiosè detorquetur ad substantiam carnis Christi: quæ non est ἀπερίγραπτος, quia humana caro est: non Marcionitica &c.

3. A fine & vsu Templi. Non est intermittēda eius ædis instauratio, in qua Deus glorificari voluit. Sed in Templo Ierosolymorum glorificari voluit Deus: vt hoc loco disertè dicitur. Ergo &c.

Theses de Templo.

1. Quum Templum Ierosolymorum, gloriæ suæ, pædagogiæ populi Iudaici, & cæremonialis cultus liturgiæ, Deus seruire voluerit, nō sine piaculo eius instauratio prætermitti potuit.

2. Vt autem quæstui Religionem seruire, sic illius adminiculis Templum profanari, Deus noluit. Iuxta dicta: Ne facite Domum Patris mei, domum mercatus. Ioan. 2. v. 16. Item, Domus mea, domus precationis est: vos autem reddidistis eam spelunca latronum. Luc. 19. v. 46.

Lectio 17. 9. Decēbr. 1579.

3. Templo tamen cordis per fidem pu-

rificati, Deus maximè delectatur. Ioan.14. v.23, Si quis diligit me, sermonem meum seruabit: & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. 1.Cor.6.v.19, An ignoratis corpus vestrum esse templum Spiritus sancti, qui est in vobis & quem habetis à Deo?

4. In hoc Templo perpetuæ preces & gratiarum actiones concipiendæ: & λογικὴ λατρεία præstanda est, & quidem πνευματικῶς καὶ ἀληθῶς, id est, in Spiritu & Veritate. Rom. 12. Ioan.4.

4. Argumentum à iusto. Ordo iustitiæ postulat, vt Iehouæ aliquid præscribenti & præcipienti obtemperent omnes homines, ac præsertim fideles. Atqui ea, quæ de Templi fabrica proposita sunt, Iehouah edixit.

Thesis. In sacris concionibus, diuina auctoritas alleganda est, ne Dei oracula vilescant, videantúrque esse humana commenta & somnia. Ideo Prophetæ subinde ingeminant hoc dictũ: Hæc dicit Iehouah.

Versus 9.

Respicietis ad multum, & ecce parum: & intulistis illud in domũ, at ego exuflo illud. Qua de causſa, dixit Iehouah exercituum? Propter Domum meam quæ est deserta, vos autem curritis quisque in domum suam.

5. Argumentum, à pœnis. Homines sa-

nos & pios, non modò pœnarum cauſſas obſeruare, ſed etiam vitare decet. Vos autem ſi pergatis neglecto Templo, res priuatas agere, in ani labore conficiemini. Itaque ſolicitè opera vobis dãda eſt, vt ante omnia Deo, quæ eius ſunt, detis. Minorem probat exemplo infelicis laboris in re ruſtica & œconomica: Seminatis multum, & tamen parum colligitis: & quæ ex agris ægrè à vobis collecta domúmque deportata ſũt, Deo ea exuflante, pereunt: & diſſipantur tanquam gluma.

De rebus malè partis, digreßio.

1. Ridicula eſt & noxia vanitatis ſpecies, per fas & nefas paulò poſt peritura, corradere.

2. Nam qui id facit, in Deum impius eſt. Neque enim Deo & Mammonæ ſeruire poteſt. Luc. 16. 13.

3. Idem etiam ſeipſum lædit & peſſundat, iuxta illud Pauli: Qui autem volunt diteſcere, incidunt in tentationem & laqueum, & cupiditates multas amentes & damnoſas, quæ demergunt homines in exitiũ & interitum. 1. Tim. 6. v. 9.

4. Iniuſtus etiam eſt in ſocietatem hominum: ſecundũ illud Pauli: τὸ μὴ ὑπερβαίνειν καὶ πλεονεκτεῖν ἐν τῷ πράγματι τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ:

διότι ἔκδικος ὁ Κύριος περὶ πάντων τούτων. 1. Thess. 4. v. 6.

Huc pertinēt prouerbia: Salis onus vnde venerat, illuc abiit. Item, Malè parta, malè dilabuntur, & similia.

7. A causſa impulsiua. Non est cur se modis omnibus infelices esse mirentur, qui domos suas priuatas, Templo Domini: rē familiarem, cultui diuino: quæstum suum, gloriæ Dei: seipsos denique Deo, præferūt. Atqui id faciebant è Babylone reduces Iudæi. Hoc argumentum à præcedenti pendet.

De inuersione diuini ordinis.

1. Ordinem rerum diuinitus sancitum, rerum gradus, copulatio, distinctio mirificè commendant.

2. Gradus sunt, Sacra & prophana. Act. 10. v. 15. Natura nihil est profanum: instituto tantùm & vsu quædam profana habentur. 1. Cor. 8.

3. Εὐταξία est Sacra profanis præponere: ἀταξία profana sacris anteferre.

4. Sacra vel reipsa sacra sunt, vel instituto vsúque solùm, vt ἀδιάφορα.

5. Εὐταξία est, si indifferentia verè dictis sacris seruiant. ἀταξία, si eisdem dominentur.

6. Sic

6. Sic quædam disparata & opposita sunt vt coniungi non debeant nec possint.

7. Εὐταξία est, ante omnia regnum Dei & eius iustitiam quærere. Matt. 6. ἀταξία, Deo & Mammonæ seruire velle. Luc. 16.

8. Sic etiam quædam σύζυγα sunt, vt in ordinaria dispensatione seiungi non debeant.

9. Εὐταξία est, cum verbo interno, externum; cum aquæ lauacro, baptismum Spiritus; cum pane & vino Cœnę Domini, Corpus & sanguinem Christi, sacramentaliter iungere. ἀταξία, verbum externum ab interno; signa sacramentalia à rebus significatis, separare. Res significatas non solùm fructu sed etiam substantia, definio. Vt multi Israelitæ olim sacrificiis externis contenti, nec de agno Dei mundi peccata tollente, nec de sacrificiis Eucharisticis cogitabant.

10. Quia etiam Deus quædam distinxit, non vult promiscuè illis aliquid tribui.

11. Εὐταξία est, Viuificationẽ carni Christi tribuere, non terreno pani Eucharistiæ: item emundationem à peccatis, non aquæ baptismi, sed aspersioni sanguinis Christi, acceptam ferre.

12. Dei optimi & sapientissimi de omni-

bus rebus iudicium ſequi præſtat, quàm intelligentiam carnis. Ille enim optimè nouit quænam bona, mala, media à nobis haberi velit.

Exempla.

2. Cor. 4. v. 8, Dum non ſpectamus ea quæ cernuntur, ſed ea quæ non cernuntur. Nam quæ cernuntur, temporaria ſunt: at quæ non cernuntur, æterna. 2. Cor. 12. v. 14, Non quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos: nõ enim debent filij parentibus theſauros cõgerere, ſed parentes filiis.

Verſus 10.

Lectio 18. Decemb. 14. 1579.

Propterea ſuper vos clauſit ſe cælum, ne daret vobis rorem: Terra quoque clauſit ſe ne fructum ſuum ederet.

Argumentum poſtremum, quo Propheta oſtendit, non ampliùs eſſe procraſtinandam Templi inſtaurationem, ducitur à pœna publica qua affecti erant Iudæi.

Pœnæ publicæ & priuatæ, ſunt teſtimonia iræ Dei aduerſus tranſgreſſores Legis, & cauſſæ προκαταρκτικαὶ conuerſionis eorũ qui non ſunt ἀμετανόητοι. Iuxta dictum: Si nos ipſos diiudicaremus, non puniremur. Sed quum punimur, à Domino erudimur, ne cum mundo condemnemur. 1. Corinth.

11. v.

11.ver.31.32.

Atqui Deus grauiter ſanè in vos animaduertit, occluſo cælo, ne terram rore perfunderet: nedum pluuia irrigaret: & clauſa terra, ne fructus vobis ſubminiſtraret.

In hac Minore notabimus ordine:

1. Qualis fuerit ſitus & quæ ratio rigationis terræ ſanctæ. Deut.11.v.11. Terra ad quam vos tranſitis vt poſſideatis eam, terra montium & vallium eſt, de pluuia cæli bibes aquam.

2. Benedictio itaque diuina erat, quando pluuiis regio irrigabatur. Eodem cap.v.14, Dabo pluuiam terræ veſtræ in tẽpore ſuo, temporaneam & ſerotinam, & ita colliges frumentum tuum, & vinum tuum, & oleũ tuum. Et dabo herbam in agro tuo pro iumentis tuis, comedéſque & ſaturaberis.

3. E contra cohibitio pluuiæ, maledictionis Diuinæ argumentum erat. Eodem cap. v.17, Idololatris iraſcitur Iehouah ſic vt claudat cælos, vt nõ ſit pluuia, neque terra det fructum ſuum. Deut.28.v.23. Eruntque cæli tui qui ſunt ſupra caput tuum, ærei: & terra quæ eſt ſubter te, ferrea. Dabit Iehouah pluuiam terræ tuæ puluerem & cinerem, &c.

Certum itaque est Iudæos, violatæ legis, & neglectæ fabricæ Templi, pœnis, ad iræ Dei sensum, & ad resipiscentiam, reuocari.

1. De Historicis, Prophetarum & Apostolorum, Concionibus.

1. Historicæ conciones, non solùm quid edicat Dominus sed etiam quid faciat, perspicuè docent.

2. Edicit voce Legis, Omnes homines peccauisse, & destitui gloria Dei: Euangelij autem læto nuncio, iustificari fideles, gratis, propter Christum, profitetur. Rom. 3.

3. Vt autem misericordiam suam erga resipiscentes: sic iustitiam erga contumaces, omnibus temporibus declarat.

Matt. 11. 4. Sicut ergo Christus Iesus discipulis Ioannis dixit: Profecti renuntiate Ioanni quę auditis & videtis: ita nos quid Deus dicat & faciat, audiamus & videamus.

5. Meminerimus nostrum esse, Quærere Dominum, vt vel palpando eum inueniamus, quum non procul absit ab vnoquoque nostrum. Act. 17. v. 27.

6. De liberatione itaque Ecclesiæ è captiuitate Babylonis Occidentalis, de Ecclesiæ senescentis παλιγγενεσία, de restituta luce Euangelij, de conuersione nostra & aliis multis, sæpe & diligenter commonefa-

nefaciendi sunt homines, vt Dei opera obseruare & magnifacere, Deóque pro ineffabili beneficio gratias agere studeant.

2. De caußis famulantibus Iudicij diuini.

1. Tota rerú natura seruit consilio & iudiciis Dei.

2. Id videre licet vel in Elementorũ prõto ministerio.

3. Deo annuente, cælum & terra patefiunt, vt diuina benedictione homines perfruantur. Deut. 28.

4. Eodem mandante, cæli & terræ opes occluduntur, ne iis potiantur homines ingrati & contumaces.

5. Ac certum est, id quod Apostolus monet, res creatas vanitati subiectas esse, non sponte, sed propter eum qui subiicit. Rom. 8. ver. 10.

6. Etsi autem cæli & terræ mirandum commercium est, vitę animantium seruiẽs: illud tamen tum benedictioni diuinæ, tum maledictioni seruire cogitur.

7. Ergo quum Deus naturæ ordinẽ prosperare dignatur, vt obedientibus benedicat: & idem, rerum naturæ vires inhibeat, vt inobedientibus maledicat: vel huius liberrimæ actionis experientia, odium peccati & iustitiæ amorem in animis nostris

excitare & fouere debebat.

Lectio 19. 15. Decēb.

Versus 11.

Et vocaui siccitatem super terram hanc, ac super montes, & super triticum & super vinū, & super oleum: quin & super vniuersa quæ profert humus: & super homines, & super iumenta, & super omnem laborem manuum.

Hic versus ἐπεξήγησιν habet pręcedentis versiculi, & probationem Minoris postremi Syllogismi. Inductionis qua vtitur, hæc summa est.

Siccitas Diuinitus introducta est, super terram, montes, triticum, mustum, oleum: super homines, bruta animantia, & deniq; super opera manuum vestrarum. Nec dissimile est de cęteris omnibus iudicium. Quare certum est vos ei maledictioni obnoxios, de qua dicitur Deut. 28. v. 16. Maledictus eris in vrbe, & agro. Maledictum canistrum tuum & consperso tua. Maledictus fructus ventris tui, & fructus terrę tuę, primogenitū boum tuorum, & greges ouiū tuarum. Maledictus eris quando ingredieris & quando egredieris.

In Occidentalibus hisce locis, nouo vere pruina & frigore in ipsis paschalibus feriis: ante autumnum, & sementis tempore diu-

diuturnis pluuiis, Deus hoc anno sic occlusit terram, vt fructuum copiæ spem præcideret. Vnde colligimus, eodem modo, quo olim in Iudæos, Deum in nos animaduertere, & cælum ac terram claudere.

Quæ sunt in Inductione illa obseruanda?

1. Rerum series & gradus. Vt enim ostēdat Propheta, secundum legis comminationes, nihil non maledictioni, ob peccata Iudaici populi, obnoxium iam esse, initium facit ab ijs quæ sunt, Cœlo & Terra, quæ hospitiū nobis præbet: deinde ad eorum quæ sunt & viuunt fructus accedit, & siccitatem frumento, vino, oleo & alijs terræ & arborum fructibus obfuisse docet: inde progreditur ad ea quæ sunt, viuunt, sentiunt & mouentur: ac dum κ) συνεκδοχὴν iumētorum meminit, cętera quoque animantia terrestria, aquatilia, volatilia, subintelligit. Quartò eum qui etiam intelligit, & cuius caussa inferiorum ordinum creaturæ sunt conditæ, hominem videlicet introducit, (communi appellatione coniuges, liberos, familiares designans) ac eum maledictione premi ostendit. vltimò, Laboris manuum voce occupationes rusticas, œconomicas, ciuiles, ecclesiasticas, scholasticas, &c. vt summatim complectar omneis tam publicas quàm

priuatas actiones & functiones, designat: eásque iustissimo Dei iudicio inanes & infrugiferas fuisse ostendit.

Hæc rerum distributio in conspectu sit, vt è regione benedictionis diuinæ plenitudo, si quando ea nobis præter omne nostrũ meritum conceditur, celebretur, & accendatur ac foueatur in nobis studium agendi Deo gratias pro benedictione Spirituali & corporali: ad quod exempla sanctorũ, quæ in diuinis Scripturis passim occurrunt, nos hortantur.

2. Tempestatum moderator Deus. Dominus facit vt Sol suus oriatur super malos & bonos, & pluit super iustos & iniustos. non passus est enim vnquam se esse expertẽ testimonij, benefaciendo, & dando pluuias cælitus ac tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda nostra. Idem testatur totus Psalmus 29. & alij complures.

Mat 5. v. 45. Act. 14. v. 17.

Cur igitur Paulus ait, penes Diabolum esse potestatem aeris, si Deus solus tempestates ciet, auget, sedat pro suo arbitratu? Sic argumentor: Penes quẽ est potestas aeris, is videtur tempestates excitare, moderari, & sedare. Sed Diabolus potestatem aeris Paulo teste &c.

Respõdeo ad minorem: κατὰ τι Satanam aeris potestatẽ habere, & de eo dici quòd

in

in sublimi versetur : non autem simpliciter. Vt .n. Dæmõ, Deo permittẽte, morbos infert, quando humorũ, spirituũ, & membrorum physicis motibus abutitur, vt vel accedens morbos infligat, vel abscedens ac mouere desinẽs, curare videatur : ita quum permittit Deus, ventorum, nymborum & meteororum motibus & confusione mira quædam efficit: non tamẽ plura & grauiora quàm permittat Deus. Iob. 1. Igne greges pecorum Iobi absumsit : & ventorum turbine, donum in qua illius filij conuiuabantur, solo æquauit.

Tertullianus. Dæmon ledere desinit vt curasse videatur.

Lamias ánne credis tonitru, grandinem, pruinã, & alias tempestates excitare?

Arbitr or eas, quæ se manciparunt Cacodæmoni, quũ alioquin instat eiusmodi tẽpestas, incitari à Satana (cui non difficile est ex signis proximè antecedentibus tempestates colligere, aut quas excitaturus est præ nunciare) vt rebus quibusdam peractis, sibi videatur tempestates excitasse.

Ergo quum non efficiant tempestates non sunt puniendæ.

Nego sequi. Nam quum Sathanæ scientes & volentes se manciparint, & veneficio homines & iumenta perdant, Deo nuntiũ miserint: vt apostatæ, homicidæ, & idolo-

latræ pœnas merentur capitales. Quis latroni parcendum putat, si à viatoribus in fugam actus, frustretur suis conatibus? De ijs loquor, quæ religiosa persuasione, non tormentorum subita vi adductæ, fatentur, se Deo & pietati nuncium mississe, venenatis rebus homines & bruta necasse, Dæmoni seruiuisse. Scio quasdam fateri à se perfecta ea, quæ nulla ratione fieri possunt naturæ & Dæmonum viribus. Earum extortis narrationibus non arbitror fidem habendam: nec in eas sæuiendum. Hîc autem de propriè dictis veneficis loquimur, de quibus Lex est, Maleficam non sines viuere. Ex. 22. Paulus inter opera carnis, quæ φονικὰ sũt, recitat veneficiũ, φαρμακείαν. Sed de hac re ista in transcursu dixisse satis sit.

Lectio. 20.

Audire vocẽ Iehouæ.

Versus 12.

Audiuit autem Zerubabel filius Salthiel, & Iehosua filius Iehosadac sacerdos magnus, cunctusque reliquus populus vocem Iehouæ Dei sui, & verba Haggai prophetæ, sicut miserat eũ Iehouah Deus eorum, timuitque populus à facie Iehouæ.

Timere Iehouam.

Hæc historia encomium & descriptionẽ habet obedientiæ fidei, quam Iudaicus populus cum suis Primoribus, audita Haggæi

gæi concione, Deo probare cœpit. Nos in ἐνθουσιασμὸν hæc breuiter annotabimus.

1. Propositionē. Per fidē Iudæi ὁμοθυμαδὸν mandatū de Templo audierūt, Deúmque reueriti sunt:

2. Confirmationem. Huius argumenta sunt:

1. Consensus omnium ordinum, superiorum & inferiorum.

2. Forma. Audiuerunt enim Haggæum, non vt hominem sed vt legatum Dei, ea religione & attentione, ac si Deum ipsum è cælo ipsos alloquentem audirent.

3. Effectus. Reueriti sunt Iehouam. Intelligebant enim se Patri optimo non detulisse debitum honorem, eoque nomine timuerunt à facie eius.

Ordo quem in expositione sequemur.

Vt autem fratribus & auditorib. charissimis constare possit, tum quo pacto hypothesi ad Thesin reducta, vsus historiæ istius declarari possit, tum qua via & ordine expositio eius instituenda sit: primò Thesin, deinde explicationis capita, ob oculos ὡς ἐν πίνακι proponam.

Thesis. Per fidem perceptum verbi diuini semen, efficax & viuum est, & fructus profert optimos, timorem Dei & alios fructus spiritus, dignos ijs qui resipuerunt.

Capita expositionis, de quibus ordinè dicemus.

1. De efficacia diuini Verbi deque eius caussis.

2. De phrasi, Audire vocem Iehouæ: & de fidei obedientia.

3. De phrasi, Timere à facie Iehouæ: seu de filiali Timore.

1. *De verbi Dei efficacia.*

τὸ ὅτι.

Verbum Dei efficax est.

Hunc aphorismum, demonstratione ab auctoritate diuina, & experiētia, sic probo.

Id quod & auctoritas Diuina, quæ rationis loco nobis est, & sanctorum vniuersalis experientia docent & testantur, in dubium vocari non debet.

Atqui hæc duo κρίσεις, videlicet auctoritas Diuina & experientia Sanctorum, συμφώνως testantur præcipuam esse verbi Dei efficaciam. Quare de ea nō licet ἐπέχειν: non magis certè quàm quum si videntes oriri Solem, dubitamus, Anne Sol supra nostrum Hemisphærium ascendens, collustraturus sit omnia quæ ei exposita sunt.

Minorem probo,

1. Auctoritate & testimonio Diuino. Isa. 55. v. 10. 11. Certè quemadmodum descēdit imber

imber & nix ſuper terram, & illuc non reuertitur, ſed inebriat terram, & gignere facit eam, ac germinare facit eam, & dabit terram ſerenti & panem comedenti: ſic erit verbũ meum, quod egredietur de ore meo: nõ reuertetur ad me vanum, ſed facit quod volo, & proſperatur in his ad quæ miſi ipſũ.

Ier.23.v.28 29. Quid paleæ *id eſt, pſeudoprophetarũ ſomnijs & cõmentis*, ad triticũ? *id eſt, ad Dei verbũ*. Nõne verbũ meũ eſt inſtar ignis, *hic liquefacit, ſegregat, purgat aurũ*: dixit Iehouah: tanquã malleus conterens petrã? 1.Cor.14.v.24. Sed ſi omnes prophetetis, ingrediatur aũt infidelis aut idiota, arguitur ab omnib. diiudicatur ab omnib. 25. & ita occulta cordis illius manifeſta fiunt: atque ita procidens in faciẽ, adorabit Deũ, renuncians Deum verè in vobis eſſe: Hæc illud notabimus, Apoſtolum de Diuini verbi promulgatione, quæ fit voce ſeruorum Dei, agere: ne cũ Enthuſiaſtis vſum & efficaciã eidẽ abrogemus. He.4.v.12. Viuus eſt Dei ſermo & efficax & penetrãtior quouis gladio ancipiti: ac pertingit vſq; ad diuiſionẽ animę ſimul ac Spiritus, cõpagúmq; & medullorũ: & diiudicat cogitationes & cõceptiones cordis. περὶ λόγου προφορικοῦ καὶ ἐπαγγελτικοῦ: nõ de λόγῳ ὑφισταμένῳ, diſſerit.

11. Experientia, cuius duo exempla illustria adducere libet. In solenni illa veteris Testamenti & pacti sanctione, quę post repetitam in monte Sinai Legem, ministerio Mosis interueniente, peracta fuit, sic adfecti fuerunt Israelitæ verbo Dei, vt dicerent: Quęcunque dixit Iehouah, faciemus & obediemus. Ex. 24. v. 7. Et in hac ipsa Haggæi de Populo Iudaico historia, disertè affirmatur, omnium ordinum homines audiuisse vocem Iehouæ, ac reueritos Iehouam.

Obiectio. 1. Cor. 4. v. 20, Non in verbis situm est regnum Dei, sed in virtute, videlicet Spiritus.

Pugnantia de seinuicem non prædicantur. Paulus τῷ λόγῳ opponens τῇ δυνάμει, docet esse pugnantia.

Quare negat verbum esse efficax.

Respondeo ad Minorem, in qua est paralogismus Æquiuocationis, in vocabulo, Verbi: quod hoc loco humanam in verborum ornatu positam eloquutionem significans, inflatis quibusdam tribuitur: & Spiritui verbi Dei, cuius propria est δύναμις, opponitur. Non igitur negat Paulus efficax esse Dei verbum: sed negat Gnosticorum istorum πεφυσιωμένων grandiloquentiam, vllam habere ἐνέργειαν & vim.

τὸ

Lectio 21. 12. Ianu. 1580.

τὸ δυόπ.

Vndénam est hæc diuini verbi efficacitas?

Dependet à Caussa efficiente principe, hoc est, à Deo viuo & omnipotente, qui quum alloquitur cor hominis, viuificat & illuminat illud, vt & suauissimè recreetur, & Deum vocantem sequatur: ne quis magicam vim verbis seu pictis seu prolatis, per errorem affingat.

Series autem caussarum efficientiũ subordinatarum hæc est,

1. Αἴτιον κύριον est Deus. Porrò quum externa illa opera, communiter tribuantur Sanctæ Trinitatis Personis, testimonia Scripturæ aliàs γενικῶς Deo tribuunt, quòd is verbum suum cordibus nostris inscribat, vt Ierem. 31. v. 33, Dabo Legem meam in medio eorum, & in corde eorũ describam eã: aliàs personæ tribuunt, vt Ioan. 16. v. 13, Spiritus veritatis deducet vos in omnem veritatem. Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audierit loquetur, & quæ ventura sunt renuntiabit vobis. Ex hoc testimonio colligimus, & Spiritum sanctum nos docere, & illud doctrinæ genus quod Pater per Filium Ecclesiæ innotescere vo-

luit, docere & inculcare.

2. Συναγωγον, est fides, quæ lumine verbi in cor hominis illato, à Spiritu sancto accenditur, & vt lychni instar luceat, ab eodem alitur, subministrato fomento & pabulo. Hebr. 4. v. 2. Etenim nobis euangelizatum est, sicut & illis: at non profuit illis auditus sermo, vt qui fidei mistus non fuerit ipsis qui audierant. Ex hoc dicto colligimus,

1. Efficax esse verbum, quum fidei mistū fuerit: hoc est, quum relatiuo, id est, verbo Dei, respōdet correlatiuum, quod est fides.

2. Idem iudicium est de Sacramentis, quę, teste Augustino, Visibile Dei verbum sunt. Nisi his respondeat fides, nullus eorum vsus est, nisi qui ad iudicium homini cedit.

Obiectio. Ergo verbum Dei & Sacramenta pendent à fide hominum, sic vt nisi hæc accedat, nulla illorum veritas sit & efficacia?

Respondeo, per Instantiam, ergo etiam à videndi facultate Solis ortus dependet, sic vt nisi animantia videant, Sol oriri non possit. Quî fit igitur vt tot luminibus capta animantia, Solis ortum saltem non remorentur?

Pontificium nugamentum est fingere, verbum Dei & Sacramenta conferre gratiam

tiam ex opere operato, hoc est, si illud ἔξωθεν solùm audiatur, & hęc percipiantur: nec accedat fides.

Ridicula etiam hypallage est, si quis Verbum & Sacramenta seiungens, hæc in idola transformet, & eis maiorem, quàm illi efficacitatem, tribuat. Nisi enim ad elementum accedat verbum, Sacramentum non erit. Constat etiam Verbum, si desit Sacramentum, sufficere: sed non contrà. Iam verò, si in homine incredulo, verbum Dei efficax non est, quæ tandem erit in eodem Sacramentorum vis?

Dicamus igitur id quod verissimum est,

1. Verbi Dei & Sacramentorum efficaciam, à Diuina voluntate pendere.

2. Velle autem Deum, vt eis respondeat fides in salutari vsu.

3. Et per consequens, Deum, qui sanctũ non dat canibus, nolle, vt infidelibus veritas Verbi & Sacramentorum, non minus quàm fidelibus, detur.

Sicut igitur cæcitas non prædominatur luci: nec surditas, voci articulatę: nec stupor omnium membrorum, qualitatibus quæ tactu percipiuntur: sed obstant quominus illa obiecta percipiantur: ita quoque incredulitas, quæ fidei priuatio est, non quidem

maiorem vim habet, quàm Dei Verbum & Sacramenta, sed tamen obstat quo minùs Verbi interni & Rei Sacramenti participes fiant infideles. Est enim fides eiusmodi caussa organica, sine qua non possunt cæ- 5
lestia dona percipi. Vt sine oculis nemo cernit, sine auribus nemo audit, sine olfactu nemo olfacit, sine gustu nemo sapores discernit, sine tactu nemo quicquam tangit: ita sine fide Christum nemo videre, audire, 10
odorari, gustare & edere, nemo denique eũ tangere potest.

3. Σύνεργον, est verbi Dei Ministerium. 1. Cor. 3. v. 9, Etenim Dei sumus administri. eodem cap. v. 5, Quis igitur est Paulus, quis 15
autem Apollos, nisi ministri per quos credidistis, & vt cuique Dominus dedit? Mar. 16, Apostoli Domino cooperante prædicauerunt vbique.

Quæstio. Si tanta est verbi Dei efficacia, quî fit vt non omnes qui illud au- 20
diunt, eidem credant?

Respondeo, id eò fieri quia non omnibus datum est nosse mysteria regni Dei, Matt. 13. v. 11, Ideo autem non datum est 25
omnibus, nosse mysteria regni Dei, quia non omnes ex Deo sunt. Ioan. 8. v. 47.

Contra: Quod publicè omnibus audientibus annuntiatur, id ab omnibus percipi-

tur. Atqui à fidelibus iuxta & infidelibus, qui præstò sunt, auditur Dei verbũ. Quare non minùs ab his, quàm ab illis percipitur.

Respondeo, esse duplicem paralogismũ: petitionis principij in Maiore enuntiatione, & æquiuocationis in verbo Audire, & in nomine Verbum Dei. Infideles audiunt auribus verbum externum: sed interni verbi semen puro corde non percipiunt: ideo illud externum verbum cedit eis in testimonium. Matt. 10. v. 18. Fideles autem ἔσωθεν Spiritum sanctum ea, quæ Ministri ἔξωθεν testantur, inculcantem & obsignantem audiunt: quum eis solis hoc datum sit, ceteris non item.

Reductionis ad Absurdum solutio. Ergo nemini eorum quibus non datum est fidei (quæ veritatis agnitio est) donum, incredulitas vitio est danda, quum miserandi sint potius quàm accusandi. Sic igitur argumentor.

Lectio 22. Idib. Ian. 1580.

Fides non est omnium. 2. Thess. 3. v. 2.

Ergo infidelibus non est vitio vertenda incredulitas.

Respondeo. Nego Consequentiam, & ratio est, quia est fallacia secundum non causſã vt causſam. Omittitur media & pro-

xima incredulitatis causſa, videlicet incredu-
li hominis voluntas diſtorta & auerſa à
Deo, & humani cordis caligo & durities.

11. De Phraſi, Audire vocem Iehouæ: & de obedientia fidei.

Nemo hominum vocem Iehouæ audire
poteſt, niſi Deus ſacrum ſuum os aperiat
& alloquatur homines.

1. Tribuitur Deo vox, aliàs quidem in-
articulata, quum tempeſtates, tonitrua dat.
1. Sam. 12, Dedit Iehouah vocem & pluuiã.
Pſal. 29. aliàs verò articulata, vt quum euo-
caret ad iudicium Protoplaſtos. Gen. 3.
quum promulgaret Legem in monte Sina.
Ex. 20. Deut. 18. Vltra non audiam vocem
Iehouæ. Item, Et locutus eſt ad vos Iehou-
ah è medio ignis, vocem verborum vos
audiebatis: at imaginem vllam non vide-
batis præter vocem. Deut. 4. v. 12. Et quum
filio ſuo vnigenito teſtimonium perhibe-
ret, Mat. 3. & 17.

2. Viſum autem illi eſt aliàs immediatè al
loqui homines, aliàs mediatè. Immediatè
locutus eſt, vt priora exempla non repe-
tam, quum Domino noſtro Ieſu Chriſto,
reſpondens, diceret: Et glorificaui, & rurſũ
glorificabo. Ioan. 12. v. 28. Mediatè nunquã
non locutum cum Sanctis ſuis, docet au-
ctor

ctor Epistolæ ad Hebræos, cap. 1.v.1, Deus multis vicibus multísque modis olim locutus Patribus per Prophetas, vltimis hisce diebus nostris, locutus est nobis per filium.

3. Vult autem non minoris à nobis fieri vocem suam & verbum mediatè prolatũ, quàm immediatè pronuntiatum. Luc. 10. v. 16. Qui vos audit, me audit: & qui vos reiicit, me reiicit: qui verò me reiicit, reiicit eũ qui me misit. Exempla. Iudæi audientes Haggæum, Dei vocem se audire statuebãt. Et Thessalonicenses, Paulo docẽte, sermonem Dei puro corde exceperunt. 1. Thess. 2. v. 13.

Contra. Caussæ efficientes non sunt confundendæ.

Vos dum famulanti tribuitis id quod est principalis caussæ, eas confunditis. Tribuitis ministris, id quod Dei proprium est, videlicet efficax Dei verbum.

Respondeo ad Minorem, in qua est fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter: Ministerio externo secundũ quid, id quod Spiritus sancti propriũ est, tribuitur, quia subordinatum est, & quia per illud efficax est Spiritus sanctus. Iuxta dicta Fides est ex auditu. Rom. 10. v. 12. Itẽ, Quis igitur est Paulus, & quis est Apollos, nisi

Miniſtri per quos credidiſtis, & vt cuique Dominus dedit? 1. Cor. 3. v. 5. In hoc poſteriore dicto ἄρτον κύριον quod eſt Dominus, & cauſſa inſtrumentalis, id eſt Miniſterium coniũguntur, & quid cuique tribuendũ ſit, docetur.

Dixi quædam de vocis Dei vocabulo, quod hîc ἀνευ συμπλοκῆς ſumitur: ſupereſt vt aliquid addam de verbo Audire. Dicuntur enim Iudæi πανδημεὶ audiſſe vocem Iehouæ.

1. Quot modis dicantur homines audire verbum Dei.

Memoriæ & iudicij cauſſa, ſecundũ quosdam locos inuentionis, modos illos declarabimus. Si ſpectes,

1. Notationem. Alij ſermonem Dei propriè loquendo, audire dicuntur, videlicet ij, qui eum audiunt, intelligunt, & fructum ferunt. Matt. 13. v. 22. Alij ὁμωνύμως loquẽdo audiunt, vel animo peregrinante, vel ſaltem ad tempus, vel denique nimium intẽti curis rebúsque mundanis. Eodem cap. verſ. 19. 20. 21.

2. Inſtrumenta. Sermo Dei percipitur ἐξωθεν auribus, ſi externum verbum conſideretur: ἔσωθεν corde fideli, ſi internum verbum reſpicias.

Diffe-

Differúntne formâ verbum internum & externum? Non. Idem enim verbum, Spiritus sanctus & Ministri συμφωνοῦντες annũciant. Dispensatio autem subordinata variat. Ergo vt ἀμαθέστερον dicam quod res est, sicut oratio & sententia eius differunt: ita verbum externum & internum inter se distant. Oratione vtuntur ministri: sententiã inculcat cordi Spiritus sanctus.

Mira autem est phrasis qua vteris, Corde audire.

Non magis mira tibi videri debet, quàm si dicam hominem fidelem, corde videre, odorari, gustare, edere Christum. Corde creditur ad iustitiam. Rom. 10. v. 10. Fides autẽ homini fideli oculorum, aurium, linguæ & labiorum, oris, manus instar est. Ea sola Christum & spiritualia eius dona apprehẽdimus & applicamus.

3. Actum & συσυχείωσιν. i. fideles in cœtu Sanctorum prophetantium, simul & auribus & corde audiunt. 2. Hypocritæ autem auribus, non puro corde, audiunt. 3. Sancti (vt Dauid exulans) corde, non auribus audiunt. Psal. 42. 4. Tempus illuminationis & conuersionis. Alij multò antè auribus audiunt, quàm corde: similes hac in re semini, quod diu sub terra occultatum tãdem pro-

germinat. Alij priùs corde audiunt, quàm auribus. Vt Cornelius centurio. Act. 10.

Lectio 23. Ian. 15.

II. Quinam reuera audiunt verbum Dei? Ii solum, qui adoptionis diuinæ, doni speciali, vocationis efficacis & sanctificationis priuilegio gaudent. Iuxta dicta,

1. De adoptione. Qui ex Deo est, verba Dei audit. Ioan. 8. v. 17.

2. De speciali dono. Vobis datum est noscere mysteria regni cælorum: illis autem non est datum. Mat. 13. v. 11.

3. De vocatione efficaci. Vocauit vos per Euangelium nostrum, ad obtinendam gloriam Domini nostri Iesu Christi. 2. Thess. 2. v. 14.

4. De sanctificatione. Qui audit sermones istos, & eos præstat, Matt. 7. v. 24. Reipsa verò præstate sermonẽ: nec sitis auditores solùm, fallẽtes vosmetipsos. Iac. 1. v. 22.

III. Quomodo autẽ efficit Deus vt eius verbum audiamus?

Quum primùm quidem aures perforat, vt suauissimus verbi Dei concentus, eas afficiat, Psal. 40. v. 6. Aures perfodisti mihi. Vt enim qui ad catadupa Nili vel Rheni degunt, obsurdescunt propter aquarũ horrendum strepitum & fragorem: ita qui mũdo

do huic viuúτ τῇ μεγάλῃ φαντασίᾳ sic percelluntur,& surdi fiunt,vt Deum aures hominum perforare neceſſe ſit. Deinde aperit corda,vt de Lydia dicitur: Dominus adaperuit cor eius, vt attenderet ea quæ dicebantur à Paulo. Act.16.v.14. Poſtremo,adaperit Scripturas interpretando eas Luc. 24. v.32.

IIII. Fidei obedientia quas res completitur?

1. Lumen veritatis. Eſt enim fides ἐπίγνωσις τῆς ἀληθείας. Tim.2. v. 4. Ideo καταλήψις ἢ ἐπιστήμη eidem tribuuntur. Plurimum autem intereſt inter hanc ſcientiam & alias omnes. Nam, vt ait Ariſtoteles, Vna ſcientia melior eſt alia,vel quia certior,vel quia de meliori. Fidei ſcientia primùm omnium certiſſima eſt, deinde circa obiectum optimum verſatur, quod eſt promiſſio gratiæ. Deinde, vt idem ait, Scientes vniuerſale, ſæpe ignorant ipſum ſingulare. Fidelis autem non ſolùm credentes ſaluandos eſſe, ſed etiam ſeipſum hæredem æternæ vitæ eſſe,certò nouit.

2. πληροφορίαν. Rom 14. ἕκαστος τῷ ἰδίῳ νοὶ πληροφορείσθω. Col. 2. celebratur ἡ τῆς συνέσεως πληροφορία. Hebr. 10. Accedam vero corde ἐν πληροφορίᾳ πίστεως. Illuſtratur hæc πλη-

ροφορεία exemplo Patris credentium. Rō. 4. 3. Studium obediendi Deo. Vt faciam quod tibi gratium est, Deus mi, hoc volo: & lex tua in medio viscerum meorū est, Psal. 40. v. 8.

III. *De Phrasi, Timere à facie Iehouæ ac de filiali Timore Dei.*

Tametsi populus timuisse dicitur à facie Iehouæ, & consentaneum est grauiùs eum deliquisse quàm Primores Iudæorum: non tamen ausim Timorem, ad populum solum sententia Diui Hieronymi, restringere. Nam si prorsus ἀνέγκλητοι seu inculpati fuissent gubernatores Politici & Ecclesiastici, forsan non opus fuisset eis admonitione & obiurgatione communi. Dico istud sine præiudicio.

Methodus breuissima.

1. Notatio. Timor Dei, non solùm venerationem, sed etiam reuerentiam Deo debitam significans, vsitatè φόβος κυρίου à Græcis: Hebr. 11. 7. εὐλάβεια nuncupatur. Interdum idem est quod εὐσέβεια, Pietas, quū videlicet totum Dei cultum complectitur: vt in illo nobili dicto: Initiū sapientiæ timor Domini, psal. 111. v. 10. Interdum speciale donum Spiritus sancti significat. Cum timore ac tremore vestram ipsorum salutem confi-

conficite. Phil. 2. v. 12.

2. Homonymia. Alius est filialis timor, alius seruilis. De hoc posteriore ait Paulus, Non enim dedit nobis Deus spiritum timiditatis, & 2. Tim. 1. v. 7.

3. An sit. Μὴ ὑψηλοφρόνει, ἀλλὰ φοβοῦ, Ne effertor animo, sed time. Rom. 11. 20. Hoc dictum ἀντιφάρμακον est fiduciæ & superbiæ carnalis, nec pugnat cũ fidei πληροφορίᾳ, & salutis nostræ certitudine.

4. Quid sit. Est filialis reuerentia, à Spiritu sancto accensa in corde hominis fidelis, quæ constat εὐλαβείᾳ erga Deum summè iustum, & charitate erga eundem summè misericordem, cui fides prælucet.

5. Efficiens eius caussa est Spiritus sãctus, Isa. 11. v. 2.

6. Forma, Sic reuereri Deum, vt eundem vnicè diligas.

7. Finis, Honos Deo Patri debitus. Mal. 1. v. 6. Filius honorat Patrem, & seruus Dominum suum: quòd si pater ego sum, vbi est honor mei? & si Dominus sum vbi est timor mei?

8. Effectus, anteferre Dei cultum & amorem, omnibus rebus huius mundi.

9. Cognata virtus est modestia, Item ἡ τοῦ νοὸς φρόνησις, & sedulitas in officio.

10. Pugnantia sunt in defectu, Epicureismus de quo dicitur: Non est timor Dei ante oculos eorum. Rom. 3. in excessu autem, 1 Timor expers charitatis. 1. Ioan. 4. 2 Nimius timor hominum. 1. Petr. 3. 3 Timor cum incredulitate, Apoc. 21. 4 Seruilis Timor. 2. Tim. 1.

Versus 13.

Lectio 24. Ian. 25.

Dixit itaque Haggai legatus Iehouæ, in legatione Iehouæ, populo, Ego vobiscum (sum) dixit Iehouah.

Quemadmodū periti Chærurgi, si quādo immedicabile vulnus ense resciderunt, aut candente ferro pestiferum vlcus exsiccauerunt, remedia topica dolorem lenientia & mitigantia adhibere consueuerunt: ita Prophetæ vbi tristi Legis cōcione & pœnarum denunciatione, tristitiam secundū Deum in cordibus hominum excitatam, ex fructibus qui resipiscentia digni sūt, collegerunt: promissione gratiæ & præsentiæ Dei, corda contrita & humiliata erigunt, & in spem bonā vocant. Eius rei illustre exēplum in hac historia occurrit, de qua, quantum dabit Dominus, dicturi, duo ordinè tractabimus, Personas & orationem.

Personæ duorum ordinum sunt, Dicētis, &

tis,& eorum ad quos oratio habita est.

Dicentis personam,vocatio & officium commendat.Dicitur enim Haggæus Angelus, seu Legatus Iehouæ.

1. Legati æstimatio pendet à Principis maiestate & potentia. Haggæus, non Regis mortalis, sed beati illius & solius Principis, Regis regum & Domini dominorũ, qui solus habet immortalitatem,(1. Tim.6. v.15.)nomine lagatione functus est.Itaque sacra illius auctoritas fuit.

2. Porrò quum Legatum deceat summa fide, ea solùm quæ in mandatis à Principe suo accepit,exponere, Haggæus noster diligentissimè monet, se non sua somnia & commenta, sed Iehouæ armipotentis oracula,Iudaico populo edicere.

Hieronymus hunc locum exponens, opinionem quorundam adducit, neq; probat, de qua dialecticè agemus in gratiam iuuentutis studiosæ.

Finxerunt olim quidam Haggæum,Zachariam & Ioannem Baptistam,non homines,sed Angelos fuisse,& Deo dispensante & iubente, corpora assumsisse. Sic autem argumentabantur,

Hi tres quos nominauimus Angeli dicuntur in Scriptura. Non igitur fuerunt

homines, nobis ὁμοιοπαθεῖς (Act. 14. 15.) quandoquidem disparatæ species de iisdē prædicari non possunt.

Respondeo, Esse fallaciam Æquiuocationis in vocabulo Angelus, quod non naturæ sed officij nomen est, commune Spiritibus administratoriis, & sanctis Dei hominibus, qui pro Christi nomine legatione funguntur.

Etsi autem damus Angelos, per dispensationem diuinam corpora humana assumere, vt minùs percellantur pij: tamen ineptè & periculosè eam rem incarnationis verbi exemplo adstrui statuimus: vt hæc verba innuunt: Nec mirum hoc de Angelis credi, quum pro salute nostra etiam Filius Dei humanum corpus assúserit. Non enim, vt Angeli, ad tempus in carne visibilis factus est ὁ λόγος: nec φανταστικὸν σῶμα assumsit, vt Marcion volebat: nec corpus humanum solùm, sine anima rationali, vt contendit Apollinaris Laodicenus: sed humanam naturam integrā, fœdere perpetuo & personali, sibi vniuit.

Falsum & illud est, quod eosdem hæreticos docuisse D. Hieronymus testatur, Omnium videlicet rationabilium vnam esse naturam, ob hanc caussam quòd homines

qui

qui placuerint Deo, æquales Angelis sint futuri. Sophisma eorum hoc erat. Beati erunt ἰσάγγελοι in æterna vita. Luc. 20. v. 36. Ergo vna est rationabilium natura.

Respondeo, In Antecedente est fallacia à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Ratione enim quarundam proprietatum beati homines Angelis æquales erũt, non simpliciter ratione essentiæ. Vt in natura Angelica coniugio & procreationi sobolis non est locus, quum Angelorum agmina simul condiderit Deus, voluerítque Spiritus administratorios esse, quibus non opus esset adminiculis corporalibus, cibo, potu, remediis: ita homines beati, coniuges non erunt, cibo & aliis præsidiis animalis vitæ opus non habebunt. Hæc eò dico ne cum hæreticis illis disparatas species confundamus, & priori fallaciæ, Accidentis paralogismum adiungamus.

Subscribimus itaque Hieronymo, qui Angeli nomine, Prophetam designatum rectè iudicauit. Significat enim Propheta, Diuinæ voluntatis interpretem. Ex. 7. v. 1.

De Legatis Dei.

Paulus 2. Co. 5. v. 20, Itaque, ait, Christi nomine legatione fungimur, velut Deo precante per nos: oramus Christi nomine,

reconciliamini Deo.

In hoc dicto quàm breuissimè annotabimus,

1. Principem legatos ablegantem esse Deum Patrem, qui in Christo omnia vult ἀνακεφαλαιώσασθαι. Eph.1.v.10.

2. Sequestrum & ἐφοδιώκτην, qui mandata dat, esse Iesum Christum. Docentes eos seruare omnia quæ mandaui vobis. Matt. 28.v.20.

3. Prophetas ἡμῶν ὑποφήτας, esse omnes vtriusque fœderis fideles ministros.

4. Adiunctum, legatione fungi, etiam ἐν τῇ ἀλύσει. Eph.6.v.20.

5. Proprium, precari in Christi nomine. Neque vt dominantes cleris, sed vt qui sitis exemplaria gregis. 1.Pet.5.v.3.

6. Mandatum, sermo reconciliationis. 2. Cor.5.v.19.

7. Ad quos propriè mittantur legati isti. Ad eos qui præordinati sunt ad vitam æternam. Act.13.v.48.

8. Destinatum, reconciliationis cum Deo testificationem publicam & fidelem.

Hæc quum ita sese habeant, qui legatione hac iam funguntur, dent operam ne olim δίκην παραφρεσθείας subire cogantur: qui verò ad eam olim accessuri sunt, summa

ma fide & diligentia ea sibi præsidia parēt, quæ ad legationem modis omnibus arduā, necessaria sunt: ne imparati & profani illotis manibus rem sanctam aggrediantur.

Supereſt vt de iis aliquid dicam, ad quos oratio ista habita est. Hieronymus, non Duci & Summo Sacerdoti, sed populo Iudaico ista dicta putauit, idque sic colligit, quia qui populus erat, nondum ad Dei peruenerat charitatem, quæ foràs mittit timorem.

Etsi autem facilè dedero, Prophetas multò plura in vulgo Iudæorum, quàm in primoribus Zerubabele & Iehosua aliisque desiderauisse: tamen non arbitror, ea quæ hîc dicuntur, populo solùm inculcata fuisse. Quid enim? Anne primoribus minùs opus erat dono timoris Dei, & consolatione prophetica quàm vulgo ignobili? Est etiam in ratione, quā Hieronymus adducit, principij petitio. Neque enim timor seruilis, sed filialis qui cum charitate iungitur, is fuit, qui Iudæis tribuitur. Argumento est, quòd eo Deus non est offensus, immò quòd Dei dono eis datū est reuereri Deū, & expaueſcere ob sensum iræ eius aduersus peccata.

Meminerimus autem dulcissimas consolationes Prophetarum, nobis quoque di-

ctas & scriptas, si modò in nobis præcedant contritio cordis, odium mali, amor boni, & vt summatim dicam, sanctificationis studium. Iuxta dictum: Nam quæ ante scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus. Rom. 15. v. 4.

Oratio consolatoria.

Ego vobiscum sum, dicit Iehouah. In hac quanquam breui oratione, quatuor capita obseruabimus, Genus causſæ, Propositionem, Argumentum, & Mysterium.

1. Genus causſæ deliberatiuum hîc dominatur. Hortatur enim Propheta Dei populum vt quamprimùm sacrum ædificium aggrediatur, & vt de auxilio & protectione diuina, déque successu operis bene speret.

Thesis. Quemadmodum fidelis & prudens dispensator famulitio domini sui in tempore τὸ σιτομέτριον, id est, demensum diurnum subministrat: ita Propheta, quum est opus, reprehẽsione vtitur, & quum corda contrita esse ex effectis colligit, consolationis remedium adhibet. Gal. 6. v. 1, Fratres, etiamsi præoccupatus fuerit homo in aliqua offensa, vos spirituales instaurate huiusmodi hominem cum Spiritu mansuetudinis.

dinis. Loquitur autem Paulus de omnium fidelium officio: nō de Ministris solis, quorum est insistere vestigiis eius qui dixit: Spiritus Domini Iehouæ super me, eò quòd vnxerit me Iehouah: ad euangelizādum mansuetis misit me, vt alligarem cōtritos corde, vt prædicarem captiuis libertatem, & vinctis apertionem carceris. Isa. 61. v. 1. & sequentibus.

2. Propositio (quæ breuitatis studio à Propheta hîc omissa est) ex antecedentibus & consequentibus colligi potest. Ædificate Templum Iehouæ, & defungimini λειτουργία sacra quam ille præscripsit, idque citra procrastinationem præstantes, reipsa declarate sacra vobis potiora esse profanis.

3. Argumentum, à præsentia & auxilio Dei ductum hoc est.

Quibuscunque Iehouah ipse adest, eos fide & spe egregiè animatos, opus Domini gnauiter aggredi & perficere conuenit.

Vobis autem Iudæis Iehouah Deus nūc adest. Argumento sunt eius dona vobis iam concessa, videlicet obedientia fidei, timor filialis, & alia præsidia, quæ ideo vobis collata esse, vt opus Domini tandem aliquando aggrederemini, dubium non est. Quare agite, vt iam omissis priuatis ædifi-

ciis, & negotiis familiaribus, Templum ædificetis.

Maior illustratur & confirmatur testimonio Psal. 127, Si Iehouah non ædificet domum, frustra laborant ædificantes eam: si Iehouah non custodiat ciuitatem, frustra vigilat custos. v. 1. Et digni sūt memoria pij & beati viri, Philippi Melanchthonis versus:

Nullius est felix conatus & vtilis vnquā,
Consiliū si nō détque iuuétque Deus.

Lectio 25. Ianuarij 27. 1580.

Obiectio contra Maiorem.

Id quod commune est fidelibus cum infidelibus & tota rerum vniuersitate, non potest sanctis singulari & præcipuo solatio esse. Atqui Deus his omnibus adest: vt testatur gubernatio & conseruatio totius naturæ. Quare Iudæis non poterat hæc oratio, Ego vobiscum sum, dicit Iehouah, animos addere.

Respondeo ad Minorem, in qua est paralogismus ἀμφιβολίας, in phrasi, Ego vobiscū sum, quæ à Propheta de presentia gratiæ, ab interrogante autem de præsentia Dei, quam vsitatè Repletiuam vocant, sumitur.

De omnipræsentia Repletiua intelligantur

tur hæc dicta. Psal.139.v.7.& 8. Quò ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? si ascendero in cœlum,ibi es:& si stratum fecero in inferno, ecce tu ades. Isa. 66.v.1. Sic dixit Iehouah,Cælum est solium meum,& terra scabellum pedum meorum. Ier. 23.v. 24. Num occultabit se quispiam in occultis & ego non videbo illum, dixit Iehouah? Annon cælum & terram ego impleo, dixit Iehouah? Sed de præsentia gratiæ & auxilij diuini,dicitur. Psal.91.v.15. Cum ipso ero in angustia:eruam eum, & glorificabo eum. Isa.55.v.6. Quærite Dominum dum inuenitur, inuocate eum dum est propinquus. Rom.8.v.31. Si Deus pro nobis, quis contra nos?

QV. *De Personáne Christi, an de altera è duabus Naturis, intelligenda sunt hæc eius verba: Ecce ego vobiscum sum. Matt.28.*

℟. In concreto de tota Persona,accipienda sunt. Nam totus Christus est vbique, sed non totum Christi. Ac multa de tota Persona rectè prædicantur, quæ in abstracto,vel neutri per se naturæ conueniunt,vt nomina officij: vel alteri non congruunt, vt Deitati non competunt crucifigi, mori, &c. Christus est creator mundi, ratione

Deitatis. Christus est mortuus carne. 1. Pet. 4.

Q V. *Humanitas Christi éstne vbique actu primo?*

R. Nequaquam: ídque primùm ob hãc causſam, quòd est creatura organica, si corpus: spiritus finitus, si formam substantialem spectes. Deinde, quia nihil est vbique, nisi quod est simpliciſſimum: nihil simpliciſſimum, nisi quod est ab æterno & increatum. Postremò omnes pij fatentur Christi corpus non esse localiter, id est, actu primo, in S. Cœna.

Cyrillus his subscribens, lib. 11. super Ioã. cap. 19. Præsens, ait, atque conuiuens carne cum Apostolis, manifesta consolatio erat illis, quum oculis cerneretur. Solet enim humanus animus, non occultis, sed manifestis confidere. Quanuis ergo Dominus, quum etiam corpore absit, cuncta quæ velit, possit efficere: (Iesus enim Christus heri ac hodie, ipse & in secula) præsentia tamen eius priuati Apostoli, non turbari non poterant, præsertim quum magno æstu mũdi fluctus in eos influerent, & omnibus modis veritatem prædicantes deiicere conarentur.

Q V. *Eadem illa humanitas éstne vbique actu*

actu secundo?

R. Maximè. nam meritorum efficacia, virtute, maiestate, donis fidelibus nusquam gentiũ aut locorum deest: immò his omnia implet. Eph. 4. v. 10.

Q V. *Quomodo intelligenda sunt hæc verba, Filius hominis est in cælo. Ioan. 3. v. 13.*

R. Per κοινωνίαν ἰδιωμάτων id est, modum prædicandi, quo propria naturarum, in cõcreto toti Personæ tribuuntur. Christus igitur tum temporis, secundum diuinitatẽ, in cælo & vbique erat: secundum humanitatem, eo loco in quo illum Nicodemus offendit & allocutus est.

Cyrillus interpretatur hoc dictum. Quum inquit, Filius, Dei verbum de cælo descenderit, Filium hominis descẽdisse ait, in duas post incarnationẽ diuidi personas recusãs: nec alicui permittẽs, vt Templum quod ex virgine sumtum fuit, alium filium, & alium Dei verbum prædicet: quãuis quæ vtrique naturaliter insunt, decentem dictinctionẽ suscipiant. Vt enim ex Deo Verbum est, sic homo ex muliere. Vnus igitur ex vtrisque Christus filiatione indiuisibilis & maiestate diuina. Quomodo enim aliter quæ soli Verbo Dei conueniunt, Virginis filio accõmodari poterunt? Quomodo autem è

conuerſo, quæ ſoli carni conueniunt, Verbo Dei attribuentur? Nunc enim de cælo filium hominis deſcendiſſe ait, paſſionis verò tempore ipſe Dei filius tanquam ipſe patiẽs, quæ humanitati ſuæ ſolummodo cõgrua ſunt, timuiſſe ſcribitur.

Q V. *Idémne ſignificant Hominis filius & humanitas?*

℟. Nequaquam. Homo Chriſtus, filius hominis, Dei, altiſſimi, Perſonã in cõcreto: Deitas, λόγος hypoſtaſin aſſumẽtẽ: Caro, humanitas, aſſumtam naturam, ſignificant.

Q V. *Annón diuiditur Chriſtus, quum negatur quód Caro eius cum λόγῳ vbique ſit?*

℟ Non diuiditur. Neque enim vnionis λόγου & humanitatis differẽtia ſpecifica eſt, ſimul vbique eſſe: (hac enim ratione Pater, Filius & Spiritus ſanctus, vna eſſent Perſona, nõ tres diſtinctæ perſonæ, quũ vbique ſimul ſint, qui vnum ſunt eſſẽtiâ) ſed, vnam perſonã cõſtituere. Porrò quũ Deitas infinita ἀπερίγραπτος ſit, vt extra naturã humanã eſt, ita in ea & eidẽ perſonaliter iũcta eſt.

Q V. *Chriſto data eſt omnis poteſtas, ergo & omnipreſentia ſeu vbiquitas?*

℟. Debebas, primùm omnem poteſtatẽ, quæ officij eſt, & omnipotentiam, quæ nihil aliud eſt quàm infinita Dei eſſentia, accuratè

ratè distinguere: de priore enim loquitur Christus, non de posteriore. Si realiter carni Christi data esset omnipotentia, id est, essentia immensa, tum procederet fortè argumentum tuum. Sed quum personalis vnio sit duarum in Christo naturarum, tum demum dabo, eius carnem vbique esse, quũ probaueris eam æternam & simplicissimam esse. Deinde decebat te nõ ἀούσιῶς loqui, téque ipsum redarguere. Nam pro vbiquitate carnis adstruenda adducere soles illa verba: Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi: quæ ostendi de Persona rectè accipi: perperam autem ad naturam humanã à vobis restringi: etsi non ignoro interdum pronomen illud ad alteram naturam restringi. Hæc autẽ nomen Christi, quod personam denotare certo certius est, ad carnem malè restringis. Data est Christo, ais, id est, carni eius omnis potestas.

Q V. *Deitas nihil potest accipere: igitur hæc verba: Mihi data est omnis potestas, ad humanitatem referri debent.*

R. Distinguere debebas, Essentiam diuinam, quæ est αὐτάρκης, & Personam Mediatoris. Sicut huius respectu filius missus est, exiuit à Patre, Patre minor est, semetipsum exinaniuit &c. ita quoque accepit o-

mnem poteſtatem, & nomen quod eſt ſupra omne nomẽ. Matt. 28. v. 18. Phil. 2. v. 9.

Deitati τοῦ λόγου, quæ cum Patre & Spiritu ſancto vnum eſt, nihil poteſt accedere. Eſt enim οὐσία αὐτάρκης πρὸς τὴν εὐδαιμονίαν, vt ille dixit. Hæc ideo dico ne quis nos ἀρειανίζειν calumnietur.

QV. *Quid ijs mihi reſpondendum cenſes, qui pronomen Ego, in dictis de Chriſto ad humanitatem reſtringunt?*

℟. Demonſtra Scripturæ auctoritate adducta, hæc tria.

1. Aliàs illud in concreto de tota perſona accipiendum: vt in his dictis: Ego ſum: & videbitis Filium hominis ſedentem ad dexteram potentiæ & venientem in nubibus cæli. Marc 14. v. 62. Ego ſum paſtor ille bonus. Ioã. 10. v. 11. Ego vici mundũ. Ioan. 16. v. 33.

2. Aliàs idem ad Deitatem reſtringi: vt in his dictis, Priusquam Abrahã foret, ego ſum, Ioan. 8. 85. Ego & Pater vnum ſumus. Ioan. 10. 30.

3. Aliàs ad humanitatem reſtringi: vt ex hiſce teſtimonijs liquet, Et ego ſi ſublatus fuero è terra, omnes traham ad meipſum. Ioan. 12. v. 32. Item, Pauperes ſemper habebitis vobiſcum, me verò non ſemper habebitis. eodem cap. v. 8. Hæc verba Cyrillus ita ex-

ita expoſuit, Quum de ſe dixit, me autem non ſemper habebitis, loquebatur Dominus de præſentia corporis ſui. Nam ſecundum maieſtatem ſuam, ſecundum prouidẽtiam, ſecundum ineffabilem & inuiſibilem Diuinitatis gratiam impletur quod ab eo dictum eſt: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſũmationẽ ſeculi.

Piorum fuerit omiſſa contentione, quid ſignificet pronomen illud, in diuerſis locis, diligenter obſeruare.

Addam reductionis ad abſurdũ breue exemplum. Chriſtus inquit, Ioan. 12. v. 26. Vbi ego fuero, ibi & miniſter meus erit: Chriſtus autẽ vbique eſt (carne ſua) ex hypotheſi, quæ fingit pronomen Ego, reſtringi ad humanitatem ſolam. Ergo & eius Miniſtri vbique erunt. Quis hoc falſum eſſe nõ videat?

4. De Myſterio, quod in hac oratione occurrit, quum aliàs quoq; dicẽdũ ſit, Hieronymi verba ſolùm recitabimus: Ego ero vobis adiutor, ædificate domum meam, quæ in vobis deſtructa eſt: me in medio veſtri conſtituto nemo ædificationẽ veſtram prohibere poterit. Eôdem facit Apoſtoli dictum: An ignoratis corpus veſtrum eſſe templum Spiritus ſancti in vobis, quẽ habetis à Deo,

nec estis vestri iuris? 1. Cor. 6. v. 19.

Versus 14.

Lectio 26. Febr. 8.

Et suscitauit Iehouah Spiritum Zerubabel filij Salthiel, Ducis Iudæ, & Spiritum Iehosuæ filij Iosadac, sacerdotis magni, & Spiritum totius reliqui populi, & ingressi sunt, & fecerunt opus in domo Iehouæ exercituum Dei sui.

Deo iuuante duo capita tractabimus, Historiam & Allegoriam.

Historia.

Hypothesis. Deo dãte, magno cum successu instauratum est secundum templum Ierosolymitanum.

Probatio. 1. Certum est consensũ omniũ ordinum ad opus Domini aggrediendum & perficiendum, esse donum Dei singulare. Iudæorum primores & populus mira alacritate & consensu templi instaurationem susceperunt. Iuxta oraculum: de instauratione Sionis: Nam serui tui lapidibus eius, & pulueri eius fauebunt. Et timebunt gentes nomen Iehouæ: & omnes Reges terræ gloriam tuam: eò quòd ædificauerit Iehouah Sion, & visus fuerit in gloria sua &c. Psal. 102. Quare certum est suscitatum fuisse eorum Spiritum à Domino.

2. Solius Dei est religiosi instituti impedimenta

dimenta nō ſolùm è medio tollere, ſed etiā in contraria vertere, vt vſibus pijs ſeruire cogantur. Atqui eorum, qui Templum inſtaurari nolebant, conatus non ſolùm irriti facti ſunt, ſed etiam ſeruierunt Iudæorum propoſito: vt eſt videre 1. Eſdr. 5. & 6. in hiſtoria de Thatthenai & Setharboſnai, aliiſque hoſtibus Iudaici nominis. Itaque diuinitus id eſſe factum, certiſſimum eſt.

Theſes.

1. Deus is eſt qui efficit in nobis, & vt velimus, & vt efficiamus, pro gratuita ſua beneuolentia. Phil. 2. v. 13. Itaque de bonis operibus, quorum propriè inſtrumentales ſolùm, quanuis non ſolùm paſſiuæ cauſſæ ſumus, Dauidicum illud canamus: Non nobis Iehouah, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam: propter miſericordiam tuam, & propter veritatem tuam. Pſal. 115. v. 1. Nūquid gloriabitur ſecuris, ſerra, virga, Iſa. 10. v. 15.

2. Cuncta opera Dei ſunt in mediis contrariis. Itaque quum res ſalutares & laudabiles perficere inſtituit, impedimenta obiiciuntur, quæ poſtea Deus amolitur, vt viā faciat ſuis conſiliis & operibus. Quum Iudæi magno conſenſu, ſtudio, labore Templum ædificare cœpiſſent, ſtatim adfuere

æmuli Dux Syriæ & Samaritani, qui quum opus sacrum præpedire non possent, rem ad Darium Hystaspis filium detulerũt, qui inspectis Annalibus, instaurationem maturari, & sumtus etiam subministrari voluit. 1. Esdr. 5. & 6.

3. Non quid homines inuidi cogitent & efficiant, sed quid Deus agat, spectandum. Deus enim non bonorum tantùm, sed etiã malorum opera, his tamen nesciis, bonos iuuat & promouet. Vos, dicebat Ioseph ad fratres, cogitauistis aduersum me malum, Deus autem cogitauit illud in bonum, Gẽ. 50. v. 20. Et Haman hostis Iudæorum, Mardochæum eo honore afficere coactus est, quem spe sibi desponderat. Esth. 6. Hæc & similia exempla in angustia cõstitutis, propter inimicorum oppressionem & technas, solatio esse possunt.

Allegoria.

Etsi Altissimus ille non habitat in templis manufactis, nomini tamen suo Templum Ierosolymorum à Solomone ædificatum, à Zorobabele & aliis instauratum, seruire voluit pædagogiæ veteris Populi. Vult autem & in singulis fidelibus & in tota Ecclesia, velut in Templis à se sanctificatis habitare, quam ob caussam sanctificationi

ni nos ſtudere decet, quũ ipſi quoque Dei κατοικητήριον facti ſimus.

Docendi autem gratia dicemus primùm de templo manufacto: deinde de hominis: tertiò, de Eccleſię: quartò, de cæli Templo: Poſtremò, cur Ioannes (in Apocalypſi, cap. 21. v. 22.) neget in cælitus demiſſa Ieroſolyma vllum eſſe Templum.

---

1. De Templis manufactis.

Lectio 27. Febr. 9.

1 Templa χειροποίητα, Stephanus protomartyr, Act. 7. v. 48, ea vocat, quæ hominũ ſtudio, ſumtu & labore, ædificata fuerunt.

2. Inter omnia autem toto orbe celeberrima templa, Ieroſolymitanum excelluit, non magnificentia ſolùm, (quam Ethnici admirati ſunt) ſed etiam mandati diuini & vſus cauſſa.

3. De his Iſaiæ dictum adducemus, è cap. 56. v. 7. Adducam eos ad montem ſanctum meum, & lætificabo eos in Domo orationis meæ: holocauſta eorum & victimæ eorum erũt mihi grata ſuper altari meo: quia Domus mea, Domus orationis vocabitur omnibus gentibus, dicit Dominus.

Typus Eccleſiæ.

Tametſi in hoc oraculo agitur, de Eccleſiæ è Gentibus collectione, déque cultu quem illa per fidem Deo præſtitura eſſet:

Cultus quẽ Eccleſia Deo præſtat.

tamen de Templo Ieroſolymitano & eius vſu docet: primùm, illud Iehouæ ſacrum fuiſſe: deinde, in eo non tantùm ceremonialem, ſed etiam rationalem cultum Deo præſtitum eíque gratum fuiſſe. Eôdem facit oraculum Ezech. 43. v. 7. in quo vocatur locus ſolij Dei, & locus plantarum pedum eius, in quo habitat in medio filiorum Iſrael. Celebratur itaque hoc Templum, propterea quòd Deus ei adeſſet, & in eo preces per fidem ad ſe fuſas exaudiret.

4. Quanquam autem Templum ſecundum, magnificentia & amplitudine ædificij, primo illi à Solomone exſtructo par nõ fuit: maior tamẽ illius gloria ideo fuit, quòd in eo Chriſtus Ieſus docuit. Hagg. 2. v. 10.

5. Cæterum cum illo Ezechielis dicto de loco ſolij & plantarum pedum Iehouæ, pugnare videntur Pauli verba: Deus qui fecit mundum & omnia quæ in eo ſũt, quum ſit cæli & terræ Dominus, in manufactis templis non habitat, nec manibus hominum colitur alicuius rei egens. Act. 17. v. 24. 25. Reſpondeo, Non pugnant, quum non reſpectu eiusdem dicantur. Nam ille quidem de præſentia gratiæ Dei, qua dignatus eſt adeſſe Templo illi, non domus manufactæ, ſed hominum piorum cauſſa, qui in illo cõ-

uenie-

ueniebant, & diuino cultu per fidem defũgebantur, pronũtiat: hic autem docet, Deo nec templis, nec officiorum cultu perinde opus esse, quemadmodum nos indigemus hospitio, victu, vestitu & alijs animalis vitæ præsidijs. Refutat enim Apostolus, Ethnicos superstitiosos τὴν κατειδώλες alloquens, eorum imaginationem de fanis & delubris deorum, quos confinxerant sibiipsis.

2. *De Templo hominis*

1. Quemadmodum Dominus noster Iesus Christus de Templo corporis sui dixit ad Iudæos: Destruite Templum hoc, & tribus diebus erigam illud, Ioan. 2. v. 19. ita Paulus Apostolus de fidelium corporibus pronuntiauit: An nescitis corpus vestrum esse Templum Spiritus sancti, qui est in vobis, quem habetis à Deo, neque esse vestri iuris? 1. Cor. 6. v. 19. Hæc præcipua est corporis nostri commendatio, longè anteferẽda Medicorum & Physicorum elogiis.

2. Ex hac autem commendatione petit Apostolus materiam piæ exhortationis, sequenti versu. Emti estis pretio: glorificate igitur Deum in corpore vestro, & in Spiritu vestro, quæ sunt Dei. In hũc autem modum glorificatur à nobis Deus, quando sistimus corpora nostra hostiam viuam, san-

ctam, acceptam Deo, rationalem illum cultum nostrum. Rom. 12. v. 1. & quũ Deum, qui Spiritus est, spiritu & veritate adoramus. Ioan. 4. v. 24. Digna sunt memoria Bernardi dicta: Dilatari oportet animam vt fiat habitatio Dei. Item, Anima sedes Christi est, vbi libenter inhabitat. Item, Anima in Spiritu ambulans domus est spõsi. Est etiam illud nobile dictum Augustini: Vis vt seruiat caro tua animæ tuæ, Deo seruiat anima tua: debes regi vt possis regere.

3 De Templo Ecclesiæ.

Nihil poterat de hoc Templo elegantiùs & veriùs dici, quàm id quod docuit Paulus Apostolus Eph. 2. v. 20. Superstructi super fundamentum Apostolorũ & Prophetarum, cuius imus angularis (lapis) est ipse Christus Iesus. 21. In quo totum ædificium congruenter coagmentatum, crescit vt sit Templum sanctum Domino. 22. In quo & vos vnà ædificamini, vt sitis habitaculum Dei per Spiritum. Hoc loco discimus:

1. Quæ sit basis, quisue ἀκρογωνιαῖος, videlicet Iesus Christus 1. Cor. 3. v. 11. Nam fũdamẽtum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus.

2. Qui sint lapides viui superstructi super

per fundamentum Prophetarum & Apostolorum, videlicet fideles, 1 Pet. 2. v. 5. Ipsi quoque velut viui lapides ædificemini, domus spiritualis &c.

3. Quæ sit ædificandi ratio, videlicet cõiunctio cum Christo per fidem. 1. Pet. 2. v. 4, Ad quem accedentes, qui est lapis viuus, ab hominibus quidem reprobatus, apud Deum verò electus & pretiosus.

4. Qui sit architectus, nempe Deus. Heb. 3. v. 4. πᾶς γὰρ οἶκος κατασκευάζεται ὑπό τινος· ὁ δὲ τὰ πάντα κατασκευάσας, θεός.

5. Qui sint Dei συνεργοι, nimirum fideles Ministri. 1. Cor. 3. v. 9. & 10, Dei ædificatio estis. Secundum gratiam Dei quæ data est mihi, vt peritus architectus fundamentum posui: alius autem superædificat. Porrò quisque videat quomodo superædificet.

6. Quódnam destinatum sit, ad coagmẽtationem, inquit diuinus Apostolus, Sanctorum, ad opus ministerij, ad ædificationem corporis Christi.

Lectio 28. Feb. 10.

4. *De Templo cæli.*

Apoc. 11. v. 19, Tunc apertum est Templum Dei in cælo, & visa est Arca fœderis eius in templo eius. Hoc Templum plerique de sacrario cæli interpretantur, de quo

Hebr. 9. v. 24. Non enim in manufactum sacrarium ingressus est Christus, quod sit exemplar vero sacrario respondens: sed in ipsum cœlum, vt appareat nunc in conspectu Dei pro nobis. In hoc Templo πολίτευμα nostrum. iuxta illud Pauli: Nos enim vt municipes cœlorum nos gerimus: vnde etiam Seruatorem expectamus Dominum Iesum Christum. Phil. 3. v. 20. Eo nomine quum resurrexerimus cum Christo, superna quæramus, vbi est Christus, ad dexterã Dei sedens. Superna curemus, non terrestria. Col. 3. v. 1. & 2.

Quid sibi vult Ioannes his verbis de Ieru salem cœlesti: Nec Templum vidi in ea: Dominus enim Deus omnipotens Templum illius est, id est Agnus, Apoc. 21. v. 22?

Idem quod Paulus hisce verbis. 1. Cor. 15. v. 28, Deus erit omnia in omnibus. Itaq; Ioannes ait Agnum fore Templi, Solis, Lunæ loco beatis omnibus. Ac tum demum reuelabitur gloria & felicitas eorũ, qui sũt σύμφυτοι τῷ σώματι Christi, & cum eodem regnabunt &c. Deus nobis det, vt spe tantæ felicitatis leniantur nostri dolores, quos nunc sentimus dum peregrinamur à Domino. Amen.

Q. V. *Licétne Templa ædificare in honorẽ*

& memoriam sanctorum defunctorum?

Non licet. Non enim vlli creaturæ id tribuendum est, quod soli Deo debetur, & naturæ diuinæ proprium est. Dei solius proprium est nos sibi vendicare & inhabitare. Iuxta dicta: An nescitis vos esse Templum Dei, & Spiritum Dei habitare in vobis? Si quis templum Dei violat, hunc perdet Deus: nam templum Dei sanctum est, quod estis vos. 1. Cor. 3. v. 16. 17. Et de singulis fidelibus dicitur: An ignoratis corpus vestrum esse templum Spiritus sancti, qui est in vobis, & quem habetis à Deo, neque esse vestri iuris? 1. Cor. 6. v. 19.

INST. *Ista dicuntur de Ecclesia & de eius viuis membris, quæ inhabitare Spiritum sanctum non dubito: sed quæstio etiã de templis manufactis mota fuit.*

Audiamus igitur Augustinum, qui negat Martyribus templa ædificari: Deo, ait, templa extruimus, quanuis memorię Martyrum, appellentur. Cyrillus in libello de fide, laudat Reginas, & inter alia eis tribuit, quòd sumtuosissima Christo templa erigant, nulla mentione sanctorum defunctorum facta.

Quod autem alicubi Hieronymus, Martyrum Templa veneranda monet, præiu-

dicij vim non habet. Certum en im est, honorem Deo soli debitum, Martyribus non esse deferendum: nec horum sanguinem cum sanguine Christi, qui λύτρον est redemtionis nostrę, confundendum. Memoria Martyrum, & χαρισμάτων quibus illi excelluerunt, admiratio, Dei solius, quia sua in illos dona vbertim effudit, gloriæ, & nostræ correctioni seruire debent.

Die vigesima quarta mensis, in sexto, anno secundo Darij Regis.

Hic versiculus respondet historiæ traditæ in fine primi capitis, vt vel ex Hieronymiana versione & expositione colligi potest. Omitto autem allegorias & arithmologiam. Sententia hæc est, Iudæos aggressos Templi instaurationem 24. Septembris, anno 2. Darij Hystaphis F. qui incidit in annum ab orbe cõdito 3444: si funcium, chronographum diligentem sequi libet. Est autem vsitatissimum, in commentariis Reip. & in epigraphis titulisque magnorum operum & ædificiorum, Ædilium nomina, annos & dies annotare. Si θεὸν spectes, monemur, vt temporum, quibus res magnæ, Deo auspice, incoatæ, continuatæ & perfectæ sunt, momenta, Prophetarum & Apostolorum aliorúmque fidelium exemplo, dili-

diligentissimè obseruemus. Omni enim rei est tempus determinatum, & tempus est omni voluntati sub cælo. Ecclesiastici. 3. versu. 1. Discursu tamen quodam opus est, cui seruit distinctio rerum & circũstantiarum, iuxta illud Dauidis: Quis sapiens, & obseruabit hæc: & aduertet animum ad misericordias Iehouæ? Psal. 107. versu vltimo. Esaias etiam grauissimè accusat ebrios voluptatibus, eò quòd opus Iehouæ non respiciant, nec opera manuum eius videant. cap. 5. v. 12. Nostrum itaque fuerit solicitè videre, quid agat Dominus in Ecclesia, Repub. & vita nostra priuata vt præsentiæ auxilij, iudiciorúmque eius documenta fidem, charitatem, timorem filialem in nobis foueant & accendant. Temporis rationem habendam in propagatione doctrinæ cælestis, in pœnitentiæ exercitijs, hæc dicta ostendunt: Quis est igitur fidelis seruus & prudẽs, quẽ constituit Dominus super famulitium suũ, vt det illis alimentum in tempore? Matt. 24. v. 45. Item, Itaque perspecta opportunitate, quòd scilicet tempestiuum iam sit nos à somno expergisci. Nũc enim propius nos est salus, quàm quum credidimus. Nox præterijt, dies autem aduenit. Abiiciamus igitur opera tenebrarum & induamur habitu

PRÆLECTIONES IOANNIS IACOBI GRYNÆI IN LIBRVM HAGGÆI PROPHETÆ.

Lectio 1. 19. Octob. 1579.

QVoniam in notis super Haggæū, ea quæ de eius Libello προλεγομένων vice dicenda erant, annotauimus: visum mihi est hac prælectione, primùm quidem, in genere de Prophetis agere: vt quid in vniuersum de iis nobis statuendum, & quo loco habendi sint, intelligamus: deinde, si feret tempus, nominatim de Haggæo & eius auctoritate, dicā: postremò causas propter quas eiusdem expositionem suscepi, breuiter indicabo.

De Prophetis, Methodus secundum quosdam Inuentionis locos.

1. Notatio. Iidem & Videntes & Prophetæ olim dicebantur. 1. Samuel. 9. v. 9. Olim in Israele sic dicebat quisque, quādo ibat ad inquirendum Deum, Venite eamus vsque ad Vidētem: quia qui Propheta hodie, vocabatur olim Videns.

Videntes dicebātur, causſæ & effectus respectu.

respectu. Caussam voco, visionem diuinã, quæ Vates erudiebat de multis maximis rebus. Ezech. 1. v. 1. Aperti sunt cæli, & vidi visiones Dei. Dan. 1. v. 17. At Daniel intellexit omnem visionem & somnia. Effectum appello, mentis lucem & cognitionem oraculorum Dei illustrem, qua præ aliis Prophetæ excelluerunt. *Paulus ἀποκάλυψιν generis nomine vocat.*

Prophetæ autem ideo dicti videntur, quòd essent diuinæ voluntatis ex Dei mandato interpretes, quod ἑρμηνείαν vocat Paulus. 1. Corinthiorum 14. Exod. 7. v. 1. Aaron frater tuus erit Propheta, id est, interpres tuus. *Atque hoc sanè donum alios usu sibi parauisse, vt Iesaiam: alios cùm præter expectationem suam ad munus Propheticum vocati essent, diuinitus accepisse, vt Ieremiam & Amos legimus.* Ier. 1. v. 6. 7. Amos. 7. v. 14. 15.

11. Ὁμωνυμία. Nequaquam autem eadem ratione de diuersis Prophetæ nomẽ, in S. Scriptura, prædicatur. Etenim dicitur,

j. Καὶ χρησικὰς, de Ethnicis Poetis. Tit. 1. v. 12. Dixit quidã ex ipsis proprius ipsorum Propheta: Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.

ij. Æquiuocè de Pseudoprophetis, Isa.

9.v.15. Propheta qui docet mendacium, ipse est cauda. Is.28.v.7. Sacerdos & Propheta errauerunt propter sechar, absorpti sunt præ vino, errauerunt propter sechar, errauerunt in visione, impegerunt in iudicio.

iij. Μεταληπτικῶς aliàs quidem pro doctrina Prophetarum, aliàs pro eorundem libris. Matt.5.v.17. Ne existimate me venisse vt dissoluam Legem aut Prophetas, id est, eorum doctrinam. Ioan.6.v.45. Est scriptum in Prophetis: Et erunt omnes docti à Deo. Esa.54.v.13.

iiij. Κυρίως, propriè. Vt in his dictis. Psal.74. v. 9. Signa nostra non videmus, nec est vltrà Propheta, nec est nobiscum qui cognoscat vsquequo? Ier.1. v. 5. Prophetam Gentibus dedi te.

v. Κατ' ἐξοχήν, Christus propheta ille venturus, dicitur. Deut. 18. Ioan.1. & 4. Hæc monere visum est, de varia significatione vocis.

111. Genus. Omnis Propheta est seruus Dei: sed nō contrà. Ier.7.v.25. A die qua egressi sunt Patres vestri è terra Ægypti vsque ad diem hanc, misi ad vos omnes Seruos meos Prophetas, per diem surgendo manè & mittendo.

Obie-

Obiectio. Ioel 2. v. 28. Prophetabunt filij vestri & filiæ vestræ. Ergo omnes serui Dei Prophetæ sunt. Respondeo esse fallaciam Æquiuocationis in verbo Prophetabunt, quod in dicto Ioelis γενικῶς sumitur de communi confessione eorum qui corde credunt ad iustitiam. Nos verò de Diuinæ τῆς ἀξίας in Ecclesia gradu: videlicet de munere Prophetico nũc in specie loquimur.

IIII. Species. Non tamen idem erat omnium Prophetarum ordo. Quatuor ordines fuisse videntur, è quibus postremus adhuc est vsitatus, quum eo militans Ecclesia carere nequeat.

Primus erat eorum, qui quum ordinario Ecclesiæ ministerio perfungerentur, vel extra ordinem, suscitati sũt à Deo ad repurgandam doctrinam cœlestem.

Secundus eorum fuit, qui & futura prędicebant, & Scripturas peculiari affectu specialiter certis caussis, locis ac temporibus applicabant: acti nimirum à Spiritu Sancto.

Tertius eorum, qũibus datum erat Scripturas exponere, vi tamen quadam & dono intelligentiæ peculiari præditi, quo à Doctoribus apud Paulum discer-

nuntur.

Quartus eorum qui legitimè ab Eccle sia vocati sacras literas explicant secundùm fidei analogiam, & Doctores appellantur.

Hi ordines distinguuntur, secundum doctrinæ formam & vocationem. Porrò Veteris Testamenti Prophetæ, Prisci vocantur, Luc. 9. & priores, Zach. 7. ad differentiam Prophetarum Noui Testamenti.

v. Differentia. Nemo Propheta est, nisi quem Deus vocauit vt Spiritu Christi inspirante, vel prædicat futura quædam, vel rectè exponat oracula Dei.

Ideo Pseudoprophetis vitio datur, quòd non vocati docerent, Hier. 23. v. 21. Non misi Prophetas illos, & ipsi currebant: non sum locutus ad eos, & ipsi prophetabant. Et si stetissent in secreto meo, & audire fecissent verba mea populum istum, &c.

vi. Proprium. Verorum Prophetarũ proprium est in Spiritu loqui, de iis quæ ipsis patefecit Dominus.

Num. 12. v. 6. Si fuerit Propheta vobis, ego Iehouah in visione apparebo ei, in somnio loquar cum eo. Matt. 22. Dauid

per

per Spiritum vocat eum Dominum. 2. Pet.1.v.21.Non hominis voluntate allata est olim prophetia, sed acti à Spiritu sancto locuti sunt sancti Dei homines.

VII. Adiunctum. Prophetæ testes Christi fuerunt. Act. 10.v.43. Huic etiã omnes Prophetæ testimonium dant, remissionẽ peccatorum accepturum per nomen eius quemuis qui crediderit in eum.

Quorundam etiam veteris Testamenti Prophetarum προσκείμενον fuit, quædam politica consilia gubernare: vt est videre in historia Hieremiæ Prophetæ & Danielis.

VIII. Ἄπιον κύριον. Prophetas excitat Deus. Ephes.4.v.11. Dedit ipse alios quidem Apostolos, alios autem Prophetas, &c.

IX. Finis principalis. Salutem, cuius auctor Christus est, monstrauere Prophetæ. 1.Pet.1.v.10. & 11. De qua salute inquisierunt, & quam scrutati sunt Prophetæ, qui venturam in vos gratiam prædixerunt: scrutantes in quem aut cuiusmodi temporis articulum prænuntius ille, qui in ipsis erat Spiritus Christi, declararet euenturas Christo perpessiones, & *Lectio 2. 20. Octob.*

gloriam illam consecuturam.

Chrysostomi dicta quædam de Prophetis.

1. Prophetæ oculis mentis futura viderunt. In Genesin. Hom. 12.

2. Prophetarum ora sunt Dei os. Ideo ingeminant נאם, Hæc dixit Iehouah.

Pro. 29 18. Cùm non est visio, dissipatur populus.

3. Prophetarum silentium, est signum iræ Dei.

4. Prophetæ locuti sunt, scripserunt & præfigurauerunt futura.

De Haggæo.

Quum in Notis meis fideliter, spero, ea quæ de Persona, & doctrina Prophetæ nostri dicenda erāt, annotauerim, hoc loco de auctoritate eiusdem pauca addā, vt manifestum fiat sacrosanctam à nobis omnibus haberi debere.

1. Historia sacra disertè affirmat Diuinitus excitatos fuisse Haggæum & Zachariam, vt Prophetæ essent. Quare non est fas de eorum fide & auctoritate dubitare. Ezr. 5. v. 1. Prophetauit autem Haggai Propheta, & Zacharias filius Iddo, qui fuerunt Prophetæ ad Iehudæos & Ierusalaim, in nomine Dei Israelis super eos.

2. Apostoli non nisi Canonicorum librorum auctoritatem & testimonia allegant. Paulus autem, Heb. 12. v. 26, De Euan-

Euangelij, quo totus orbis commotus est, maiestate loquens, adducit Haggæi, vt omni exceptione superius, testimonium.

3. Consensus etiam cum historia & doctrina Prophetarum & Apostolorum, libros Canonicos commendat. Atqui mira est Haggei συμφωνία cum vetere historia sacra, de statu populi Iudaici post reditum è Babylone. Eandem quoque doctrinam, quam cæteri Prophetæ, Haggæus inculcat. Quare de eius auctoritate & euidentia doctrinæ nos plenè persuasos esse par est.

Causa susceptæ Enarrationis Haggæi.

Certissimum est optimam vitæ rationem nobis præscriptam esse in hisce Filij Dei Domini nostri Iesu Christi dictis: Quærite primò regnum Dei, & iustitiam eius, & ista omnia (*quæ ad vitam animalē tuendam requiruntur*) adiicientur vobis. Matt. 6. v. 32. Item, Date Deo, quæ sunt Dei. Matt. 22. v. 21. *Causa.*

Ideo enim conditi sunt homines, & per Christum redemti, vt Deum agnoscant & per fidem colant. Rom. 14. 8. Nam siue viuimus, Domino viuimus &c. *Ratio.*

Ac decet nos imitari hac in parte Christum, qui parentibus respondebat: An *Exempli.*

neſciebatis quòd in iis quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe? Luc. 2. 49.

Experiẽtia vniuerſalis.

Teſtatur autem vniuerſalis experientia omnium temporum, Eccleſias, Reſpub. Oeconomias, ſtudia eruditæ doctrinę, & occupationes publicas & priuatas fructu carere, ſi non præluceat illis omnibus fides Chriſti, & ſi Deo debitus cultus, vel planè intermittatur, vel obiter & perfunctione peragatur.

Inuerſio ordinis diuini.

Inuertitur enim ordo diuinitus inſtitutus, quum terrenis poſthabentur cæleſtia: ſecundum illam Horatij μίμησιν:

O Ciues, Ciues quærenda pecunia primùm eſt,
Virtus poſt nummos.

Exemplũ vetus.

Huius rei triſtiſſimũ exẽplũ in hac hiſtoria de populo Iudaico, proponit Haggę, ac oſtendit maledictioni Diuinæ obnoxium fuiſſe, eò quòd Tẽplo cultúque Dei neglecto, priuatas ædes ædificaſſent, & quòd ſua ſolicitè quęſiuiſſent, neglecto tum rationali tum cæremoniali cultu.

Nos verò, vt de nobis ipſis loquar, dũ in Theologiæ ſtudio, neglecta πράξει, (quæ in veræ pietatis & reſipiſcentiæ exercitio poſita eſt) θεωρίαν ſectamur, doctioréſque magis quàm meliores euadimus,

qui luci conueniat &c. Rom. 13. v. 11. & 12 & sequẽtibus. Item, Hoc autem aio, fratres, quoniam tempus contractum est in posterum, vt & qui habent vxores, sint vt non habentes. 1. Cor. 7. v. 29. Item, Redimentes occasionem, quoniam dies mali sunt. Eph. 5. v. 16.

CAPVT SECVNDVM.

Versus primus.

Lectio 29. Febr. 12.

Septimo mense, vicesima prima die eiusdem, fuit verbum Iehouæ in manu Haggæi prophetæ, dicendo.

De capitis secundi partium serie & numero, in Notis egimus. Itaque omissis προλεγομένοις seu præfatis, ad primi versus expositionem χρονολογικὴν accedemus. Nam & de simplicibus & coniunctis vocabulis, quæ hoc recurrunt, sæpius egimus. Eodem anno ab orbe condito 3444. vicesima prima Octobris (quę fuit septima dies Σκηνοπηγίας seu festi Tabernaculorum, festúmque Palmarum grande) hoc sequens oraculum promulgatum fuit, præconio Haggæi.

Versus 2.

Dic

Dic nunc ad Zerubabel filium Salthiel, ducem Iehuda: & ad Iehoſua filium Iehoſadac ſacerdotem magnum, & ad reſiduum populi dicendo.

Circunſtantias perſonarum hic verſiculus cum præcedente complectitur. Eas in hunc modum diſcernere licebit.

1. Auctor oraculi fuit Iehouah, cuius etiam mandatu promulgandum erat. Iuxta dictum: Non facit Dominus Iehouah quicquam, niſi reuelauerit ſecretum ſuum ſeruis ſuis Prophetis. Si leo rugiat, quis non timebit? Dominus Iehouah locutus eſt, quis non prophetabit? Amos 3. v. 7. & 8.

2. Præco oraculi fuit Haggæus Propheta, qui ſuprà (cap. 1. v. 13.) ſe legatione functũ nomine Iehouæ profeſſus eſt.

3. Quibus Iehouæ voluntatem Propheta aperuerit, videlicet Magiſtratui, Sacerdotibus, & toti populo Iudaico. Quæ enim ſcire omnium intereſt, omnibus ſunt aperienda. Sed nouiſſe quæ ſit ſancta Dei voluntas, intereſt omnium eorum qui ſunt de populo Dei. Itaque ea eſt tum ſummis, tum mediocribus, tum denique infimis patefacienda, vt omnium ordinum homines ſtudioſiſſimè ei ſatisfaciant.

Aphoriſmi, de præconio oraculorum Dei.

1. Nulla sunt vera oracula, de voluntate Dei, nisi quæ ab afflatu & reuelatione veri Numinis proficiscuntur. Ier. 23. v. 16. Sic dixit Iehouah exercituum, Ne audiatis verba Prophetarum illorum, qui prophetant vobis: vanescere faciunt vos, visionem cordis sui loquuntur, non de ore Iehouæ. 17. Dicunt dicendo spernentibus me, Loquutus est Iehouah, pax erit vobis: & omni ambulanti in duritia cordis sui dixerunt, Nō veniet super vos malum. 18. Quis enim stetit in secreto Iehouæ, & vidit & audiuit verbū illius? Quis attendit verbo eius & audiuit?

2. Quibus promulgatio oraculorū Dei commissa est, nomine Domini, non suo loquendum est. Amos. 7. v. 14. Respondit Amos Amasiæ: Non sum Propheta, neque filius Prophetæ sum, sed armētarius, & colligens sycomora. 15. Tulit autem me Iehouah euntem post pecora, & dixit ad me Iehouah: vade propheta populo meo Israel. 16. Nunc ergo audi verbum Iehouæ. Vtrūq; testatur, & se ad munus Propheticū vocatū esse, & se Dei nomine eius verbū proloqui.

3. Hoc autem diuinæ voluntatis præconium seruire debet omnibus ijs qui sunt de populo Dei. Nō enim sacris Eleusinijs quæ in vulgus spargi nefas erat, similia sunt oracula

cula Dei. Omnium interest ea nosse. Ideo dicebat Christus Discipulis. Quæ vobis dico omnibus dico. Et Paulus, Deus, ait, vult omnes homines(id est, omninm ordinum homines (saluos fieri, & ad agnitionē veritatis peruenire .1. Tim. 2. Non est distinctio vel Iudæi vel Græci. nam idem Dominus omnium, est diues in omnes à quibus inuocatur. Rom. 10. v. 12.

4. Oraculorum autem diuinorum dispensationi, auditorum fides respondere debet. Ne igitur simus eorum similes, de quibus dicitur: Non profuit illis auditus sermo, vt qui fidei non mixtus fuerat eorum qui audierant. Hebr. 4. v. 2.

5. Fidei & confessionis diuortium non est introducendum. Corde, inquit Apostolus, creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem. Rom. 10. v. 10. Idem suo exemplo nos erudiens: Non, ait, pudet Euangelij Christi. Rom. 1. v. 16.

6. Symphoniam cordis & oris, facta manuum repræsentare decet: ne facta pugnēt cum oratione, oratio cum affectu cordis. Ethnicus ille dicebat, δεῖ φιλοσοφεῖν, ὐ μόνον τοῖς λόγοις, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἔργοις. ad eum modū nos quoque θεολογεῖν decet. Exemplum huius συμφωνίας, in hac de populo Iudaico hi-

ſtoria occurrit. Teſtatur enim illa, omnium ordinum homines fidem habuiſſe oraculis Iehouæ per Haggæum promulgatis, ac reueritos Deum ſacro operi manus quamprimùm admouiſſe. Vtinam ipſi quoque promtè & ſyncerè Tẽplum ſpirituale Domino ædificãtes, offeramus corpora noſtra hoſtiam viuam, Deo placentem, & ſanctiſimus Spiritu, anima & corpore. Amen.

Lectio. 30. Prid. Cal. Martij.

Verſus 4.

Quis eſt ex vobis reliquus qui viderit domũ iſtam in gloria ſua priore, & qualem videtis eam nunc? nónne ſic eſt ac ſi non eſſet in oculis veſtris?

Quod de actionum humanarum, & orationum de rebus arduis auſpicijs & initiis Socrates dicere ſolebat, εὖ ἄρχεσθαι μικρὸν μὲν μὴ εἶναι, πρὸς μικρὸν δὲ: id mihi incoanti grauiſſimorum oraculorum ſimplicem & perſpicuam explicationem, ſæpenumero in mentem venit. Non magni fieri ſolẽt, à plurimis proœmia. Sed, mihi credite, nõ eſt res parua, velut ἀπὸ γραμμῆς rem ordiri, eius fontes digito monſtrare, & in θεωρίαν rerũ pulcherrimarum homines pios & ſtudioſos deducere, ac tũ demum ad πρᾶξιν & vſum eoſdem reuocare.

Nos

Nos eius rei specimen ἀμαθέστερον ἢ σαφέστερον, totius oraculi istius, quod enucleandum suscepimus, præcipuis capitibus expositis, exhibere studebimus.

1. Ἀφορμὴ, seu occasio.

Idem ferè accidit Templi secundi ædificio aliquandiu magna cum alacritate ædificantium continuato, quod iã antea iactis eiusdem fũdamentis, euenerat. Nam, teste Esdra lib. 1. cap. 3. v. 12. & 13, quàmplurimi de Sacerdotibus & Leuitis ac Principibus patrum senes, qui viderant domum priorem, dum fundarent hanc domum in oculis eorum, flebant voce magna, & alij multi vociferabantur præ lætitia, alta voce: ita vt populus non discerneret vociferationem lætam à voce fletus populi: quòd populus ille vociferaretur vociferatione magna, adeò vt exaudiretur vox procul. Opus itaq; erat populo tum exhortatione ad perficiendum opus cœptum, tum consolatione & promissione de successu, déque gloria secũdi Templi.

Theses:

1. Non tam quid carni & sanguini, quàm quid fidei magnum & vtile videatur, spectandum.
2. Illis enim terrenæ res magnificentiam

aliquam præ se ferentes placent, humilia autem displicent: huic autem econtrà cælestia & humilia (si externam earum speciē respicias) placent: terrenorum autem μεγαλη φαντασια & vanitas displicet.

3. Illis ea, quæ τῇ δόξᾳ bona sunt: fidei, vera bona probantur.

4. Vt autem caro & sanguis in iudicando errant, sic fides iuxta Dei præscriptum de hisce rebus pronuncians, non aberrat.

5. Res illæ, quas Deus largitur, non tam externa specie, quàm efficiente caussa, finibus & vsu æstimandæ sunt.

6. Præstat magna cum alacritate quælibet Dei dona acceptare, quàm morosè alia requirendo, si non ingratitudinem, certè fastidium erga præsentia Dei dona prodere.

7. Varietas iudiciorum humanorum de operibus Dei, etiam in fidelibus fidei graduum index est.

11. Propositio.

Si ὑποθεσιν spectes, Propositio est: Pergant Iudæi in semel cœpta Templi Hierosolymitani ædificatione: nec se vlla re à laudabili proposito auocari patiantur. Si autē θεσιν respicias, hæc occurret Propositio: Ecclesiæ & singulorum fidelium ædificatio-

tioni & instaurationi summo studio incũbendum est. Meminerimus autem, hoc dici non solùm Verbi diuini Ministris fidelibus, quorum est, Dei aruum plantare & rigare: & eiusdem ædificium sapienter instaurare. 1. Cor. 3. sed etiam nobis omnibus, quibus sanè dictum est, vt in timore & tremore nostram ipsorum salutem operemur. Phil. 2. v. 12.

III. Confirmatio.

Hæc argumentis demonstratiuis cõstat: quorum hic index est.

1. A mandato Dei: seu à caussa efficiente. v. 5.

2. A præsentiæ & auxilij diuini promissione. v. eodem.

3. A fœdere Dei cum Israelitis inito.

4. A Spiritus sancti virtute & subministratione. v. 6.

5. Ab exhibitione Messiæ & ab eius μεγαλείοις. v. 7. & 8.

6. A Consequenti, videlicet à gloria secundi Templi, quam αὐτηθέσῃ amplificat. v. 9. & 10.

7. A comparatis.

8. A pacis & χρεισμάτων Spiritus sancti plenitudine. v. 10.

De his omnibus suis locis, si Dominus

voluerit, pluribus & diligenter agemus.

4. Orationis partes & figuræ.

Partes Orationis treis sunt, Exordium, v.4. Propositio, v.5. Confirmatio, sequentibus versibus constat, vsque ad finem versus 10. Occurrunt autem pulcerrimæ figuræ quæ non obscuriorem, sed illustriorem orationem reddunt: Erotemata, Subiectiones, Metonymiæ, Synecdochæ, & aliæ de quibus aliàs dicetur.

5. Mysterium.

De Ecclesiæ instauratione & gloria, quæ à capite & Redemtore ad eam redit, Apostolus Paulus (Eph. 5. v. 25. 26. 27.) in hunc modum pronuntiat, Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea: vt eam sanctificaret, purgãs lauacro aquæ per verbum: vt sisteret eam sibi gloriosam, id est, Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, aut quicquam eiusmodi, sed vt esset sancta & inculpata.

Nos quædam de nominibus Dei, & de sacrosancta Trinitate, Deo benedicente, huic nostro instituto addemus.

Versus 4.

Quis est ex vobis reliquus, qui viderit domum istam in gloria sua priore, & qualem videtis eam nunc? Nónne sic est ac si non esset in oculis

oculis vestris?

Hic versiculus cõstat Erotemate & Subiectione. Erotema est, Velim senes, qui olim viderunt Templum Salomonis, ingenuè fateri quid ipsis de secundo isto Templo videatur. Responsio. Videtur angustũ, humile, & nullius pretij, si cum illo comparetur.

Aphorismi ἠθικοί.

1. Senilis prudentiæ est, prisca cum recẽtibus rectè comparare. Diuturna enim experientia rerum facit vt senes rectiùs pleniúsque eas pernoscant, quàm alij πρωτόπειροι & rudes.

2. Sed absit ingratitudo & morositas, quę faciunt vt vilescant præsentia Dei dona, ac vt mala ἐκτραγῳδίζειν malint homines διεστραμμένοι, quàm bona agnoscere & eis rectè vti.

3. Catone enim nostro nos contentos esse, καὶ τὰ παρόντα στέργειν, æquissimum est.

4. Id fiet si non tam grandia, quàm necessaria, in tota vita spectabimus & requiremus. Iuxta dictum illud nobile: τὰ παρόντα μὴ φέρειν, καὶ τὰ μεγάλα διώκειν, μαινομένων οἱ δὲ τρόποι.

Aphorismi πνευματικοί.

1. Vt maior fuit primi Templi magnifi-

centia (si structuram spectes) quàm fuerit secundi: huius verò maior fuit gloria (propterea quòd in eo docuit Messias in carne patefactus) quàm illius: sic etsi magis fuit operosa Leuitica liturgia quàm nostra, hæc tamen illi præferenda est. Iuxta dictum: Nam mandatum præcedens (id est, Lex cæremonialis) abrogatur, quòd nullis viribus sit præditum & inutile. Hebr. 7. v. 18. Item, Corporalis quidem exercitatio paululum habet vtilitatis: pietas verò ad omnia vtilis est, &c. 1. Tim. 4. v. 8.

2. Etsi Ecclesia fidelium, in his terris videtur esse exiguus grex ouium in medio luporum, & accedunt scandalorum dehonestamenta & multa mala, quibus illa castigatur: tamen gloria Domini super eam & in ea conspicitur, quum ei adsit is qui dixit: Ecce ego vobiscum sum vsque ad consũmationem seculi. Matt. 28. 20.

3. Sæpe autem aberrant homines in sua illa censura de Ecclesia, quum videlicet carnis & sanguinis intelligentiam, non fidei lucem sequuntur. Vt olim Iudæi Salomonis Templum magnificiebant, quòd ædificij elegantia & magnitudine, ἀναθήμασιν, auro & argento spectabile videretur: ita multi requirunt Ecclesiam florentem potentia

tentia ciuili, opibus, summorum Principũ beneuolentia, & aliis terrenis commodis, & ad eam sub cruce ingemiscentem exhortescunt. Atqui iustus vt palma florebit. Et, vt diuinus ille noster Apostolus ait: Si in hac solùm vita speramus in Christum, miserrimi omnium hominũ sumus. 1. Cor. 15. ver. 19.

Versus 5.

Nunc autem robora teipsum Zerubabel, dixit Iehouah: robora te quoque Iehosua fili Iehozadac, Sacerdos magne: & robora te vniuersa plebs terræ huius dixit Iehouah, & operamini: quoniam vobiscum sum dixit Iehouah exercituum. Lectio 31. Martij 1580.

Hic versus habet θέσιν & Confirmationis primum argumentum.

Propositio παραινετικὴ est, Iudæi corroborent semetipsos, & quanto maximo possunt opere, Templum ædificent.

Ἀπορία. Cur Deo visum est Iudæis imperare Templi secundi fabricam, quum Filius Dei dicat: Venit hora quando neque in hoc monte, neque Ierosolymis adorabitis Patrem? Ioa. 4. v. 21. Sic argumentor. Non erat operæpretium, Templum eo loco extrui, in quo futurum erat vt nemo

Deum adoraret. Sunt enim Templa domus orationis. Matt. 21. v. 13. Sed ne quidē Ierosolymis futurum erat vt quisquā Patrē adoraret. Ergo &c.

Λύσις. In Maiore fallacia est παρὰ τὸ μὴ αἴτιον, &c. Nulla in his ἀντινομία est, quia hæc non dicuntur respectu eiusdem. Templum Ierosolymorum, & Leuiticam ἱερουργίαν seruire oportuit pædagogiæ veteris populi, sub Legis tutela constituti: (Gal. 4.) sed vsque ad tempora correctionis. Hebr. 9. v. 10. Dictum autem Christi, hoc vult, Non locum, sed spiritum & veritatem commēdabiles Deóque gratas preces efficere. Iuxta dictum: Deus est Spiritus: & qui adorant eum, oportet vt Spiritu & veritate eū adorent, Ioan. 4. v. 24.

1. *Argumentum à caussis efficientibus.*

Orditur Propheta à caussis efficientibus, initio facto ab instrumentalibus, videlicet, à Ducis, summi Sacerdotis & populi Iudaici consideratione, & quidem per προκατάληψιν. Quod ab humana industria & labore perfici nequit, id non est cuiquam iniungendum: ne quod fieri nequit, vel aggrediantur. Templum autem à Iudæis reducibus inopia, fame, vicinorū potentium inuidia laborātibus ædificari non potest. Igitur

tur non erat imperanda eius ædificatio.

Huic argumento opponit Propheta Demonstrationem, Maior est habenda ratio mandati diuini, quàm vt propter secundarum caussarum imbecillitatem negligendũ sit. Deus autem vobis edicit, vt Templum ædificetis. Quare non est in opere Domini vel cunctandum; nedum vt illud vobis liceat negligere.

Aphorismi διδακτικοί.

1. In Dei mandata non ita inquirendum est, vt, Sitne eis obsequẽdum, quæramus.

2. Satis enim nobis esse debet, si de volũtate Dei plenè edocti simus.

3. Nam illud extra controuersiam est, Deo obediendum esse.

4. Stolida autem incredulitas est, ob secũdarum caussarum imbecillitatem sic obstupescere, vt de primæ caussæ virtute & potentia ne cogites quidem.

5. Vtinam igitur omnes cogitemus illud oraculum: Virtus Christi in infirmitate nostra perficitur. 2. Cor. 13.

De Spiritu roboris δεικτικὴ μέθοδος.

1. Genus est χάρισμα. Rom. 12. Habentes autem diuersa dona pro gratia quæ nobis data est. v. 6. 1. Cor. 4. v. 7, Quid autem habes quod non acceperis?

2. Ἄπον κύριον, Deus, 2. Tim. 1. v. 7. Non enim dedit nobis Deus Spiritum timiditatis, sed roboris, & charitatis & sanitatis animi.

3. Σύνεργοι omnes fideles. Ideo Propheta noster ait, Robora te Zerubabel &c.

4. Subiectum, Cor fidele. Psal. 27. v. 14. Expecta Iehouam, & sis fortis, & sit firmũ cor tuum, expecta inquam Iehouam.

5. Forma est ipse actus timorem vanum propellens, ac firma fiducia in Deo acquiescens.

6. Destinatum, Strenuè progredi in opere Domini, vt Deo grata & Ecclesiæ salutaria fiant.

Finitio.

Lectio 32. 2. Martÿ. Spiritus roboris est eximium Dei donũ, quo fidelium corda sic confirmantur, vt vano timore pulso, intrepidè & cum alacritate sanctum Domini opus aggrediantur & perficiant, vt Deo grata & hominibus electis salutaria fiant.

Ἀπορία. Cur hoc adiunctum à nobis requirit Deus, quod nemo obtinere potest, nisi illud è cælo accipiat? Iuxta illud: Homo non potest recipere quicquam, nisi fuerit ei datum è cælo. Ioan. 3. 27.

Λύσις.

Λύσις. Det, inquit Augustinus, quod iubet & iubeat quod vult. Item: in præceptione disce, quid debeas habere: in correptione, tuo te vitio non habere: in precatione, à quo petere debeas id quod debes habere. Porrò quæ sunt subordinata non pugnant. Renati autē homines Dei dona, inter quæ robur cordis est, ἀναζωπυρεῖν debent. Nam Spiritus sancti σύνεργοι sunt, conditi ad bona opera vt in ijs ambulent.

Meminerimus autem, in omni sanctæ vocationis genere, opus nobis esse robore cordis, quod sanctam παῤῥησίαν rectè dixeris. Nam quum non modò cum carnis nostræ infirmitate iuxta & intemperie, sed etiam cum Satanæ τῇ μυελοτεχνίᾳ καὶ πανουργίᾳ nobis pugnandum & luctandum sit, in tot tantisque paroxysmis nos deficere necesse est, nisi Deus clementer nobis laborantibus & periclitantibus robur & vires sufficiat.

11. Argumentum à præsentia & auxilio Dei.

Quibus in sacro opere adest Deus, vires, occasiones & alia rei bene gerendæ præsidia subministrans, eis non est cunctandū, sed potiùs gnauiter pergendum. Deus vobis Iudæis adest. Igitur &c. Eodem argumēto vtitur Paulus de seipso loquens: In pri-

ma,ait, mea defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me deseruerunt:(ne illis imputetur)sed Dominus mihi adfuit, & corroborauit me: vt per me fieret fides præconij quod audirent omnes Gentes: & ereptus fui ex ore leonis.2.Tim.4.v. 16. 17. In omni autem fãcto opere Deus συνέργους vtẽs,vult hos in se vnum respicere,& rectè factorum laudem eidem tribuere, opem eius implorare. Psal 90.v.16.17. Appareat erga seruos tuos opus tuum: & gloria tua filijs eorum. Et sit pulchritudo Iehouæ Dei nostri super nos, & opus manuum nostrarum confirma super nos:& opus manuum nostrarum confirma.

De Iehouah Zebaoth.

Quum ter in hoc quinto versu Iehouæ nomen occurrat,de eo agemus ἀφορισικῶς.

1. Iehouæ nomen essentiale est.

Tenenda est distinctio nominum Dei. Quædam sunt essentialia,vt Iehouah:quædam autem significant proprietates, quæ respectu creaturarum ei tribuuntur,vt quũ dicitur Longanimis, Zelotes, Misericors, Clemens.

2. Est enim à verbo quod ESSE significat, Exod.3.v.14. Ero qui ero. Dixit præterea, Sic dices Filijs Israel: Ero misit me ad vos.

3. Si-

3. Significat autem τὸν ὄντα, seu ipsum τὸ ὄν. Primùm qua sic ἀνάρχος καὶ ἀϊδιος est, vt maximè & per se sit, semperque fuerit & futurus sit. Deinde, quia quum sit vnicus δημιουργὸς & dominus vniuersorum, ex eo, & per eum & in ipsum sunt omnia. Rom. 11. v. 36. Postremo, quia ἡ ἀποκατάστασις restitutio omnium ab eo vno dependet.

4. Hoc itaque Iehouæ nomen nulli creaturæ competit. Nam, vt antè dicta omittamus, ei soli propriè congruit, qui est naturâ Deus, Gal. 4. v. 8. & opponitur exclusiuè ijs Dijs & Dominis, qui æquiuocè sic vocantur: quum sit vnus Deus Pater ille à quo omnia, & nos in ipso: & vnus Dominus, Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum. 1. Cor. 8. v. 6.

5. Nō est autē nisi vnus Iehouah. Deut. 6. 4. Iehouah Deus noster, Iehouah vnus est. 6. Christus Iehouah dicitur, respectu Deitatis, seu τῷ λόγῳ. Psal. 110. v. 1. Dixit Iehouah Domino meo, Sede à dexteris meis &c. Inde & colligit Christus, se Dauidis Dominum, respectu Deitatis, filium autem humanitatis ratione esse. Thomas quum Christum Deum & Dominum suū appellauisset, Hebraismo, Iehouah Elohenu vsus est, Ioan. 20. 28.

7. Hebraico vocabulo Iehouæ in Scriptis Apostolicis τῷ κυρίῳ nomẽ respõdet. Verba Mosis: Non tẽtabis Iehouã Deũ tuum Matthæus ita reddit: Non tentabis κύριον τὸν θεόν σου. Nomẽ tamẽ κυρίου Dominũ, illud verò essentiam propriè denotare, nemo doctus nescit.

8. Errant periculosè qui Iehouæ nomen ad Patris solùm personam restringunt. Nã quum αὐτοθεότητα æternam essẽtiam, communem tribus Personis, significet, his quoque rectè tribuitur.

Lectio 33. Martij 4.

Versus 6.

Verbum quod pepigi vobiscum quum egrederemini ex Aegypto, faciam: Spiritus quoque meus stabit in medio vestrum: ne timeatis.

III. *Argumentum.*

Non est cur spiritu timiditatis perculsi opus Domini intermittant ij, qui fœdere æterno Deo cõiuncti sũt, eúmque patronũ & adiutorem habent. Atqui Deus, & vos & patres vestros sibi fœdere iunxit: & olim quum maiores vestros ex Ægypto educeret, ritu solemni illud sanxit. Hanc Minorem his verbis Propheta tradidit: Verbum (Sic μετωνυμικῶς pactum vocat) quod pepigi vobiscum, quum egrederemini ex Ægypto

pto. Eodem fœdere & patres & filios fideles Deo coniunctos affirmat. loquitur enim de filijs regni vniuocè sic dictis: ne quis putet hæc cum Electionis particularis pia doctrina pugnare. Concluſio manifeſta eſt.

De fœdere gratiæ Theſes.

1. Gratiæ fœdus aliàs Teſtamẽtum dicitur, quia Chriſti Ieſu ſponſoris ſanguine & morte ſancitum eſt: aliàs fœdus dicitur, quia eſt eorum qui inimici fuerant, conciliatio. Dicitur fœdus, vt præceſſiſſe inimicitias ſtatuamus. Rom. 5. v. 10. Dicitur gratiæ fœdus, à cauſſa προηγουμένη, in Deo qui in ſeipſo cauſſam iuuenit, cur nos ſibi iungeret. Dicitur Teſtamentum, quia Chriſtus noui Fœderis mediator eſt, vt morte intercedente, ad redemtionem &c. Hebr. 9. v. 15.

2. Vt autem Ieſus Chriſtus heri & hodie idem eſt, & in ſecula. Hebr. 13. v. 8. ſic vnum eſt & æternum fœdus & Teſtamentum, ſi eius ſubſtantiam ſpectes. Eph. 4. v. 4. 5. 6. Vnum eſt corpus, & vnus ſpiritus, ſicut & vocati eſtis in vnam ſpem vocationis veſtræ: vnus Dominus, vna Fides, vnum Baptiſma: vnus Deus & Pater omnium &c. Rom. 4, oſtendit Paulus eodem modo nos iuſtificari, quo Abraham iuſtificatus eſt: nimirum fide ad iuſtitiam imputata. Rom. 9, probat

idem Apostolus, eandem esse nostræ & Patrum electionis rationem, videlicet gratuitam & immutabilem. 1. Cor. 10, docet, Patres eandem nobiscum escam & eundem potum spiritualem percepisse: id quod de re Sacramentorum & de fructu accipiendũ esse, non autem de signis sacramentalibus, nemo pius & intelligens non videt. Hæc & alia dicta monent, substantia & veritate vnum & idem Testamentum & fœdus gratiæ esse.

3. Dispensatione tamen vetus & nouum Testamentum sic differunt, vt hoc illo sit præstantius: Matt. 13. v. 17. Amẽ dico vobis, multi Prophetæ & iusti desiderarunt videre quæ videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. Sciamus autem κατὰ τι ista dici, non simpliciter. Neque enim negat, Patribus eandem specie Legis & Euangelij doctrinam, notam fuisse: sed Ecclesiæ Christianæ conditionem præfert, tãquam potiorem, pædagogiæ Legis. Posteaquam enim Christus lux mundi docere cœpit, tanta cognitionis Dei lux in cordibus fidelium accensa est, vt in nouo illo Ecclesiæ statu minimus, in regno cælorũ Baptista Ioanne maior sit, si doctrinæ vbertatem consideres. Matt. 11. v. 11. Hebr. 8. v. 7, sic ar-

sic argumentatur Apostolus: Si prius illud (Testamentum vetus intelligit) tale fuisset vt nihil in eo posset requiri, haudquaquam fuisset secũdo quæsitus locus. Sed quæsitus est locus Nouo fœderi. v. 8. & 9.

4. Intelligatur autem id de Verbo & de Sacramentis. Ratio. Quum enim eadem planè doctrina, eadem fides, idem Christus in vtriusque Testamenti Ecclesia regnet, dispensationis diuersitas in litera & λειτουργία deprehenditur, seu verbi præconium, seu Sacramentorum administrationem spectes: non autem in Spiritu & veritate.

Atqui nonnulli vmbras Patribus, nobis autem veritatem tribuunt. Et vt id probẽt, adducunt verba illa Apostoli, Hebr. 10. v. 1. Lex vmbram obtinens futurorum bonorum, non expressam formam rerum &c.

Respondeo, Primùm illos id quod secũdũ quid, & συγκριτικῶς dicitur de sacrificio anniuersario maximè solenni, (quod iam, Christo oblato in ara crucis, abrogatum erat) perperam ἁπλῶς sumere.

Secundò, si nihil nisi vmbras Patribus tribuunt, & veritate eos spoliant: parum certè saluti & instaurationi eorundem consultum fuisse putant. Quid enim? Anne citra veritatem quenquam saluum factum

esse opinari debemus?

Tertiò, cur Paulus, nobis quidem Circuncisionem ἀχειροποίητον: (Col.2.v.11.) Patribus verò Baptismum & cibum potúmque spiritualem tribuit, (1.Cor.10.v.1.& 2.) si fidelibus vtriusque Testamenti res Sacramẽti communis non est? Signa enim communia non fuisse nemo non intelligit.

Postremò, quid dicemus Augustino in mentem venisse, quum affirmaret Sacramẽta veterum & nostra, signis diuersa, re autẽ eadem fuisse? Sed de his aliàs.

Lectio 34.

Hemistichium versus 6.

Spiritus quoque meus stabit in medio vestrũ: ne timeatis.

4. Argumentum.

Nõ est cur ἐμποδιώκτας operis diuini, metu hostium sensúque infirmitatis suæ debilitentur, quum in medio eorum stat Spiritus Dei.

Ratio. Est enim Spiritus Iehouæ Spiritus sapientiæ & intelligentiæ, Spiritus consilij & fortitudinis, Spiritus scientiæ & timoris Iehouæ. Isa.11.v.2. Atqui vobis Iudæis templum ædificantibus aderit Spiritus sanctus. Hæc Minor nititur promissione eius qui est Deus ἀψευδὴς. Tit.1.v.2.

Quare

Quare magno animo pergendum vobis est in sacro opere, & bene de successu sperandum.

Spiritus.) Quidam effectus pro caussa accipientes, de donis interpretantur. Sed eodem argumento Christus, ad Patrem abiturus vtens discipulis pollicetur Spiritum sanctum, qui sit ipsis adfuturus, & eos in omnem veritatem ducturus.

Meus.) Idem Spiritus sanctus aliàs Patris, aliàs Filij Spiritus dicitur, vnde & ὁμοουσία & processio à Patre & Filio rectè demonstratur: vt postea dicetur.

Stabit.) Præsentiam & auxilium perpetuum significat: quemadmodum & phrasis, esse alicui à dexteris. Psal. 16. v. 8.

In medio vestrum.) Ergo Spiritus sanctus præsentia gratiæ suæ eis tantùm adest, quibus hoc à Patre promissum & datum est.

De Spiritu Sancto.

Aphorismus.

1. Vocabulum Spiritus, Ruah, πνεῦμα, aliàs creatori tribuitur, aliàs creaturis inuisibilibus.

Hæc distinctio ducitur à caussa & effectis. Deus vniuersorum causa & δημιουργὸς est. Idem est essentia Spiritualis, immensa, æterna, increata.

2. Quum tribuitur Creatori, aliàs essentiam tribus Personis communem, aliàs Naturam Iesu Christi Diuinam, aliàs Spiritus sancti Personam denotat. iuxta hæc dicta: Ioan. 4. v. 24. Deus est Spiritus. Hoc de essentia Dei intelligatur. Rom. 1. v. 4. Declarato Filio Dei potenter, secundum Spiritũ sanctificationis &c. Spiritum, id est, Deitatem τῆ λόγου opponit carni, hoc est, humanæ in Christo naturæ. Eph. 1. v. 13. Obsignati estis Spiritu illo promissionis sancto.

3. Tertia in diuinis Persona dicitur & est Spiritus sanctus, quia est essentialis Dei virtus, qua omnia sustentãtur, & Ecclesia sãctificatur.

Spiritus vocabulum agitatorem & motorem significat, non qualitatem aliquam in Deo. 1. Cor. 12. v. 4. Discrimina donorum sunt, sed idem Spiritus. v. 8. Nam huic quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alteri verò sermo cognitionis per eundem Spiritum.

τοις μὲν διὰ πνεύματος

4. Est autem ὑπόστασις seu Persona, processionis charactere distincta à Patre & Filio. 1. Cor. 12. v. 11. Sed hæc omnia efficit vnus ille & idem Spiritus, distribuens priuatim illa singulis sicut vult.

Ex hoc dicto duas Demonstrationes exstrue-

ſtruemus.

1. Actiones ſunt ſuppoſitorum, ſeu τῶν ὑφισταμένων. Iam verò, vt alibi creatio & conſeruatio rerum, ita hoc loco τῶν χαρισμάτων diſtributio eidem tribuitur. Quare certum eſt Spiritum ſanctum eſſe perſonam.

ij. Quicunque diuidit, prout vult, excellentiſſima Dei dona, is eſt perſona intelligens & volens. Sed de Spiritu ſancto id diſertè affirmat Paulus. Ergo, &c.

5. Procedit autem tam à Filio quàm à Patre. Qui vtriuſque, hoc eſt Patris & Filij Spiritus eſt, rectè dicitur ab vtroque procedere. Sic enim illorum eſſe dicitur, vt qui ſit ὁμοούσιος vtrique, & vtriuſque virtus ſubſtantialis. Sed ſanctus ille ſpiritus, Patris & Filij eſſe dicitur. iuxta dicta: Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, is eſt qui loquitur in vobis. Matt. 10. v. 20. itē, Vos autem non eſtis in carne, ſed in ſpiritu: ſiquidem Spiritus Dei habitat in vobis. quòd ſi quis Spiritum Chriſti non habet, is non eſt eius. Porrò ſi Chriſtus in vobis eſt, &c. Rom. 8. v. 9. 10.

Spir ſanct. τῇ οὐσίᾳ totus in Chriſto.

6. Idē igitur Spiritus ſanctus verus Deus eſt. Quicunque eſt verus & æternus Iehouah, Conditor cæli & terræ, is verus Deus eſt.

Ratio. Nam dij qui non fecerunt cælum & terram, pereant è terra, & de ſub cælis iſtis. Ier. 10. v. 11. Atqui Spiritus ſanctus eſt verus & æternus Iehouah. Nam Iehouah qui apparuit Eſaiæ, vocatur Spiritus ſanctus, Iſa. 6. v. 9. Act. 28. v. 25. Idem omnia condidit: iuxta illud, Spiritus Domini fouebat aquas. Gen. 1. Immò Spiritus ſanctus cõdidit maſſam humanæ naturæ quam ὁ λόγος aſſumſit. Luc. 1. v. 35.

Addam argumentum Didymi. Verus Deus eſt, quicunque vbique & ab æterno eſt, & tamen nec Pater eſt, nec λόγος. Sed Spiritus ſanctus vbique & ab æterno eſt. Eſt ergo verus Deus.

7. Beneficia Spiritus ſãcti duũ generũ ſũt, generalia & ſpecialia. Generalia ſunt, ſuſtentatio vniuerſorum & huius ordinis alia. Specialia, regeneratio, illuminatio, gubernatio, conſolatio fidelium hominum, ſuper quos effundi dicitur Spiritus gratiæ & precum.

Lectio 35. Martij. 6.

Verſus 7.

Sic enim dixit Iehouah exercituum, Adhuc vnum puſillum, & ego commouebo cælum & terram, ac mare & aridam.

Hunc verſum, in quo de Euangelij præconio

conio agitur, Auctor Epistolæ ad Hebræos, cap. 12. v. 25. 26. 27. interpretatus est in hunc modum: Videte ne aspernemini eum qui loquitur. Nam si illi non effugerunt qui auersabantur eum qui loquebatur Dei nomine in terra, multò magis nos, si eum qui de cælis est auersemur, cuius vox tunc concussit terram, nunc autem denuntiauit dicens: Adhuc semel ego concutiam non solùm terram, sed etiam cælum. Porrò illud, Adhuc semel, declarat instabilium rerum, vtputà factitiarum amotionem: vt maneãt quæ sunt stabilia.

Hæc omnia κεφαλαιωδῶς sic perstringere licebit.

1. Vox Domini commouet orbem & eius incolas. Vox Iehouæ, aliàs tonitru & tẽpestatum fragorem significat, Psal. 29. aliàs sermonem Dei significat.

2. Locutus est autem cælitus, primùm ἐν τῇ Νομοθεσίᾳ, postea verò in promulgatione Euangelij.

Loquor de solenni & publica doctrinæ cælestis promulgatione, facta non sine prodigiis & miraculis planè diuinis & stupendis. Exod. 19. & 20. Deut. 4.

3. Ac tum quidem Mose interprete, Legem: postea verò, Filio vnigenito duce ser-

monis, Euangelium annuntiari curauit. Io. 1. v. 17. Nam Lex per Mosen data est, gratia & veritas per Iesum Christum exstitit.

4. Deum itaque loquentem aspernari non licet, siue interpretes, siue doctrinam cælitus patefactam spectes. Isa. 1. v. 2. Audite cæli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus loquutus est.

5. Nam si Israelitæ illi non effugerunt, qui auersabantur Mosen, qui loquebatur Dei nomine in terra, multò minus nos, si Christum qui de cælis est, auersemur, pœnas euitabimus.

De Christo Iesu inquit Baptista: Qui supernè venit, supra omnes est: qui è terra est, terrenus est, & terrena loquitur: qui è cælo venit, supra omnes est. Et quod vidit, & audiuit, hoc testatur. Ioan. 3. v. 31. 32. Et Paulus, Secundus, ait, homo, ipse Dominus è cælo. 1. Cor. 15. v. 47.

Ergone in Deum cadit μεταμέλεια; Nego. Imò scit quid cuique tempori mundi conueniat. Medicus &c.

6. Porrò, si spectes doctrinam, non est cur Legi & eius pædagogiæ plus tribuamus quàm Euangelio & eiusdē libertati. 2. Cor. 3. Gal. 4. & 5.

7. Commotio significat instabilium rerum, vtpote factitiarum, amotionem: vt maneant quæ sunt stabilia.

Hæc verba intelligantur de abrogatione

ne legalium ceremoniarum & instrumentorum Leuiticæ liturgiæ. Vocat enim Apostolus τὰ σαλεύόμενα ἢ πεποιημένα, Tabernaculum χειροποίητον cum omnibus suis vasis & tota Leuitica liturgia. Μετάθεσιν vocat abolitionem & abrogationem. Stabilia sùt, λογικὴ λατρεία, obedientia fidei: hæc in spiritu & veritate peragi vult Dominus, qui nobis det vt promtè & constanter ei obediamus, sic vt per nos sanctum Dei nomen glorificetur. Amen.

Versus 8. Lectio 36. Martij 18.

Commouebóque omnes Gentes, & veniet desiderium omnium Gentium, ac replebo domũ istam gloria, dixit Iehouah exercituum.

Quum superioribus diebus œconomiã argumentorum Haggæi indicarem, monui quintam & sextam demonstrationem hoc 8 versu contineri: & illam quidem duci ab exhibitione Messiæ & eius μεγαλείοις: hãc verò à consequente, videlicet gloria secundi Templi, quam αὐτάρκως amplificat Propheta. Sed δεύτεραι φροντίδες fecerunt, vt in hunc modum argumenta disponenda putarem: saluo tamen aliorum piorum iudicio.

5. *Argumentum à Typo vocationis*

Gentium.

Instante Gentium vocatione, veros Israelitas magna cum alacritate opus sacrũ perficere, Templúmque quod illius consociationis typus quidam est, ædificare conuenit.

Ratio. Nam veris Israelitis seu fidelibus, nulla res magis est cordi, quàm amplificatio regni Christi, & consociatio sanctorum: ac terreni illius manibúsque hominũ facti Templi, veluti cuiusdam typi veritas, de qua dicitur: Superstructi super fundamentum Prophetarum & Apostolorum, imo angulari lapide ipso Iesu Christo. In quo totum ædificium congruenter coagmẽtatum crescit in Templum sanctum Domino. In quo & vos (*fideles ex Gentibus & nominatim Ephesios intelligit*) vnà ædificamini, vt sitis habitatio Dei per Spiritum. Eph. 2. v. 20. 21. 22.

Certum autem est, Gentes propediem vocandas ad sortem sanctorum in lumine.

Ratio ducta à propositione diuina. Cõmouebo omnes Gentes. Sententia est, Omnes Gentes commouebuntur, vbi Deus conspicuus factus fuerit in carne, iustificatus in Spiritu, conspectus ab Angelis, prædicatus Gentibus, fidésque illi habita in mundo,

mũdo: ſurſúmque fuerit receptus in gloriã, 1. Tim. 3. v. 16.

In hac Minore obſeruabimus hæc doctrinæ capita.

1. Nulla re magis commoueri & affici animos hominum, quàm cæleſtis doctrinæ præconio.

Omnes homines (inquit Ariſtoteles Metaph. 1.) naturâ ſcire deſiderant. Sed quũ (vt idem Top. 8. ait.) vna ſcientia melior ſit alia: vel quia certior, vel quia de meliore: non dubium eſt doctrinam quæ non ex hominibus, ſed è cælo eſt (Matt. 21. v. 25) quum & certiſſima ſit, & circa nobiliſſimam materiam verſetur, omnibus alijs doctrinarum generibus anteponendam. Quo autem maioris à nobis fit doctrina, tantò magis eadẽ commouemur & afficimur. Rectè autem Ariſtotelés, Metaph. 5, Licet, ait, omnes ſcientiæ nobiles ſint, tamen diuina eſt nobilior: quia ſubiectum eius eſt nobilius. Sed de his non pluribus agam.

2. Euangelij autem, quod cælitus allatum eſſe liquet, præconium, quum in tempora τῆς διορθώσεως inciderit, commouit omnia, tum legalem pędagogiam τὴν λειτουργίαν abrogando, tum Gentes ad fidei lucem & gratiam inuitando. Cur legalem liturgiam ab-

oleri neceſſe fuerit, docet Paulus his verbis: Chriſtus eſt pax noſtra, qui vtraque fecit vnum,& intergerini parietis ſeptum ſoluit, inimicitijs,id eſt,lege mandatorum,quæ in ritibus poſita eſt,per carnem ſuam abolitis: vt ex duobus illis conderet in ſemetipſo vnum nouum hominem faciẽs pacem. Eph. 2.v.14.& 15. Significat Apoſtolus, ceremoniali cultu, quo Iudæi & gentes dirimebãtur, per Chriſtum ſublato, vtroſque ſibi inuicem & Deo coniunctos, ſic vt vnum corpus Myſticum, Eccleſiæ Chriſtianæ, cuius caput Chriſtus Ieſus eſt, conſtituerẽt.

3. Vniuerſalis particula id ſibi vult quod Apoſtolus noſter docuit Rom.3.v.29.&30. An Iudæorum Deus ſolùm, an non,& Gẽtium? Certè & Gentium. Siquidem vnus Deus eſt, qui iuſtificabit circumciſionem ex fide,& præputium per fidem. Et Petrus, Act.10.v.34.35,In veritate comperio Deum non accipere perſonam, ſed in quauis gente acceptum ei eſſe quemuis qui eũ timeat & operetur iuſtitiam. Iam concludo: Iudæis exſpectatione rerum iſtarum animatis in opere Domini ſtrenuè & gnauiter pergendum eſſe, & vel eam quoque ob cauſſã Tẽplum ædificandum, quòd illud eſſet typus coagmentationis fidelium & ſacratiſſimi

Eccleſiæ

Ecclesiæ fidelium ædificij, cuius elegantissima pictura exstat, Isa. 54. v. 11. & 12. Paupercula in turbine versans non accepit consolationem: en ego iacere faciam in carbunculis lapides tuos, & fundabo te in sapphiris, & ponam ex margaritis fenestras tuas, & portas tuas ex lapidibus carbunculi, atque omnem terminum tuum ex lapidibus desiderabilibus. 13. Vniuersi quoque filij tui erunt docti à Iehouah, & multiplicabit pacẽ filiorum tuorum. 14. In iustitia fundaberis, longè aberis ab oppressione. *Lectio 37. 11. April.*

Sequitur Minoris probatio, in hoc lemmate: Et veniet desiderium omnium Gentium, id est, Messias ille diu multúmque desideratus ab omnibus Gentibus.

Certũ est, Gentes tum maiorẽ in modum commouendas, & omnes, quotquot sunt præordinati ad vitam æternã, vocãdos è tenebris in lucem, & ad societatem veræ Ecclesiæ quũ exhibitus fuerit Messias. Sed hic propediẽ aduenit: instat enim tẽpus illud plenitudinis quod præstitutũ est incarnationi Verbi. Quare etiã Gẽtiũ ἀποσυναγωγὴν & aggregationem ad veros Israelitas instare, nihil dubium est. Hoc ordine dicemus.

1. Quid de aduentu Messiæ, dé que eius

præsentia in Ecclesia, & absentia nobis secundum Scripturas, statuendum sit.

2. Quare Messias dicatur desiderium?

3. Quare Gentium omnium desiderium dicatur, quum de Verbi incarnatione Gētibus non ita vt Iudæis constiterit.

1. De aduentu Messiæ, eiusque præsentia in Ecclesia & absentia, Aphorismi.

1. Christus aliter adest omnibus creaturis abter Ecclesiæ suæ. Illis adest ἐσωθῶς, enter, præsenter, potēter, si λόγον respicias, qui quum sit natura Deus, infinitus & ab æterno est, Itaque temporis & loci ratione planè ἀπερίγραπτος est.

2. Ecclesiæ semper & vbique adest, adfuit & aderit iuxta hæc dicta. Hebr. 13. v. 8. Iesus Christus heri & hodie, idem est & in secula Hoc est, inde vsque ab initio mundi Mediatorem egit inter Deum & homines Dominus noster Iesus, Matt. 38. v. 20. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus. 1. Cor. 10. vers. 4. Bibebant enim ex spirituali sequente Petra: Petra autem erat Christus. Et ver. 9. Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentarunt, & à serpentibus perierūt. Aderat igitur Patribus, eosq; pascebat. Ioā. 14. v. 18. Nō relinquā vos orphanos, Meminerimus autem consolationis nostræ gratia

non

non iam minùs nos, quam olim Apostolos orbos relinqui posse: quinetiam pro nobis precatus sit Christus. Ioan. 17. v. 20. 21.

3. Nam sine Christo nulla dari potest Ecclesia. Vt corpus ὁλόκληρον non est, si ei desit caput: ita nulla planè Ecclesia electorũ dari potest sine Christo capite. Ideo Paulus ait in Christo nos electos esse, Eph. 1. v. 4. ei cõcorpores factos & συμφύτους. Rom 6.

4. Adest autem Ecclesiæ, vt Christus Domini, Mediatoris personam sustinens.

Mediatoris persona officium Regis, Prophetæ & Sacerdotis complectitur. Christus Iesus itaque nos protegit & gubernat: per Spiritus ministerium erudit: & meritorum suorum efficacia pro nobis intercedẽs Patrem nobis propitium facit.

5. Aduenturus olim dicebatur ratione incarnationis Verbi. Nam plenitudinis demũ tempore à Patre emissus, factus est ex muliere, factus Legi obnoxius. Gal. 4. v. 4. Ideo se à Patre missum affirmat. Ioan. 6. v. 38. Descẽdi è cælo vt faciam non voluntatẽ meã, sed voluntatem eius qui misit me.

6. Ascendit in cælum, corpore eius & anima in cælum sublatis. Ita habet Confessio pia Ecclesiæ Basilienſis in Articulo de Iesu Christo διαθέσπω. Itaque ne ijs assentia-

mur qui Christi carnem ἀόρατον faciũt, & actu primo nobis adesse, inuisibiliter tamen, ἀοράτως contendunt. Nam vbicunque οὐσιωδῶς est verum & naturale Christi corpus ibidem cerni & palpari potest. Luc. 24.

7. Stat tamen illud: Totus Christus est vbique, sed non totum Christi.

Lombardus lib. 3. Sententiarum: dist. 22. Et vtique, ait, totus eodem tempore erat in inferno, in cælo totus, vbique totus. Persona enim illa æterna non maior erat vbi carnem & animam simul vnitam sibi habebat quàm vbi alterum tantùm: nec maior vbi vtrumque simul vel alterum tantùm vnitũ habebat, quàm vbi erat neutrum habens vnitum. Totus ergo Christus & perfectus, vbique erat. Vnde dicit Augustinus, Non dimisit Patrem Christus, quum venit in virginem, vbique totus, vbique perfectus. Et paulò post. Nec in sepulchro, nec in inferno totum erat, etsi totus: sicut Christus totus est Deus, totus homo, sed non totum: quia non solùm est Deus vel homo: sed & Deus & Homo. Totum enim ad naturam refertur, totus autem ad hypostasin: sicut aliud & aliquid ad naturam, alius verò & aliquis ad personam referuntur. Vnde Ioan. Damascenus, Totus Christus est Deus perfectus

fectus, non autem totum Deus est: non enim solùm Deus est, sed & Homo: & totus homo perfectus, non autem totum homo: non enim solùm homo, sed & Deus. Totum enim naturæ est repræsentatiuũ: Totus autem hypostaseos: sicut aliud quidem est naturæ, alius verò hypostaseos.

Lectio 38. 12. Apri. 1580.

Vt autem superiora declarentur, addam Prophetico illi dicto, de Aduentu desiderij omnium gentium, Apostolicum dictum ὁμόψηφον, quod duos canones, de Spiritu Dei & Antichristi, continet. 1. Ioan. 4. 2. & 3. Ex hoc cognoscite Dei Spiritum. Quicũque Spiritus confitetur Iesum Christum in carnem venisse, ex Deo est. At quicunque Spiritus non confitetur Iesum Christum in carnem venisse, ex Deo non est: sed hic est ille (spiritus) Antichristi, de quo audistis iam venturum fuisse, & iam nunc in mundo esse.

Iesus Christus in carnem venit. Verbum caro factum est.

Iam, vt hæc instituto nostro accommodemus, & iuniores præmoneamus, vt non solùm sibi caueant ab Antichristiano dogmate, quod negat Christum in carnem venisse, (id est, nobis per omnia, peccato solùm demto, similem factum, assumta natura humana vera, quæ anima intelligente &

organico ac locali corpore constat) sed etiã à Thesi, qua posita, illud sequitur. μέθοδον τῆς λόγων syllogisticè instituemus. Docebit autem hæc vtrumque, & veritatem esse perfectissimam harmoniam, & ab hac deflectentes dato vno absurdo plura accersere, ac seipsis aliisque imponere.

1. Syllogismus.

Qui negant Iesum Christum in carnem venisse, Spiritu Antichristi ducuntur. 1. Io. 4. 3. At quicunque carnem Christi omnipræsentem actu esse fingunt, negant Iesum Christum in carne venisse. Quare orãdus est Deus, vt ab Antichristi Spiritu, quo illi se duci non vident, liberentur. Decet enim nos ὀφιμεῖν de iis, quos vnà nobiscum contra Pontificiam idolomaniam pugnare videmus.

2. Prosyllogismus, Minorem probans.

Quicunque fingunt carnem Christi ab æterno fuisse, negant Christum plenitudinis tempore in carnem venisse. At qui vbiquepræsentiam carni Christi actu inesse contendunt, carnem Christi ab æterno fuisse statuunt. Negant igitur Christum in carnem venisse.

3. Epilogismus, Minorem astruens.

Planè

Planè ἀδύνατον & absurdum est, alicui tribuere omnipræsentiam, sine æternitate initij experte. Pantachusiastæ carni Christi tribuunt omnipræsentiam. Tribuunt igitur & æternitatem ἄναρχον.

4. Proepilogismus, Maiorem confirmans.

Quæcunque à subiecto & natura sua sũt inseparabilia, ea à seinuicem quoque sunt inseparabilia. Omnipræsentia & ἄναρχος æternitas ab essentia diuina separari nequeunt: non enim accidentia sunt, sed ipsa essentia. Quare nec à seinuicem seiungi possunt. Itaque si caro Christi est actu vbique, est etiam ab æterno.

5. Maiorem sic confirmo.

Nam si plura vnius propria sunt, si vnũ alicui naturæ insit, reliqua etiam inerunt. Atqui, vt illorum falsa ὑπόθεσις habet, Carni Christi inest omnipræsentia. Ergo & æternitas, simplicitas summa, & alia Deitatis attributa, actu carni Christi insũt, quod esse falsum, nemo sanus non videt.

Coronidis loco addam oraculi istius, de aduentu desiderij omnium Gentium Paulinam explanationem: Iesus Christus quũ esset in forma Dei, non duxit rapinam, parem esse cum Deo. Sed ipse se exinaniuit,

forma serui accepta, similis hominibus factus: & habitu compertus vt homo, ipse se summisit, factus obediens vsque ad mortẽ, mortem autem crucis. Phil.2. v.6.7.8. Venit desideratus ille, quum λόγος caro factus est. Ioan.1.

Forma Dei, diuinam naturam hoc significat, sicut piè docuit Basilius cuius hæc verba sunt: Τὸ ἐν μορφῇ θεοῦ, ἐν οὐσίᾳ ἐστὶ θεοῦ. οὐ γὰρ ἄλλο μορφὴ, καὶ ἄλλο οὐσία θεοῦ, ἵνα μὴ σύνθετος. ὁ δὲ μορφὴν οὖν ἴσος, καὶ κατ' οὐσίαν ἐστὶν ἴσος. Sic argumentatur Basilius per Reductionem ad impossibile. Si in persona τοῦ λόγου aliud esset forma Dei, aliud essentia Dei, tum esset compositus, non simplex: sed cõsequens est absurdum. Itaque & Antecedens.

Iam quum formæ Dei opponatur forma serui, quis sanus dubitet hanc significare ipsam humanam naturam? Accedit quòd Paulus hanc vocat ὁμοίωμα ἀνθρώπων & σχήματι ὡς ἄνθρωπον repertum, affirmat. Neque verò gloria quæ ei accessit, veritatẽ proprietatésque naturæ eidem τῇ ἀνθρωπότητι ademit: vt rectè docuit Augustinus. Porrò in vita beata ἰσάγγελοι erimus, non substantiæ, sed qualitatum ratione. 1 Co.15.

2. Quare

Lectio 39. 15. April.

2. *Quare dicitur Meßias deſiderium?* τὸ ὅτι.

Hoc expoſuit Chriſtus, Luc. 10. v. 23. 24. Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis, multos Prophetas & Reges cupiuiſſe videre, quæ vos videtis, nec vidiſſe, & audire quæ vos auditis, nec audiuiſſe.

Obiectio. Ergóne ſancti Prophetæ & Reges non viderunt nec audiuerunt Chriſtum? Sic igitur argumentor. Abraham geſtiuit vt videret diem Chriſti: vidit & gauiſus eſt. Ioan. 8. v. 56. Ergo falſum eſt illud eiuſdem pronuntiatum. Luc. 10. v. 24.

Nego conſequentiam & ratio eſt, quia in hac ἀνὴ νομίᾳ eſt fallacia ignorationis elenchi: neque enim κατὰ τὸ αὐτὸ iſta dicuntur. Chriſti dictum apud Ioannem, agit de communi omnibus electis fide in Chriſtū, qua Chriſtum dicuntur videre Abraham & germani eius filij. Illud autem apud Lucam de menſura & gradibus lucis, denique fidei loquitur, κατὰ τι, ad declarandum vtriuſque Teſtamenti diſcrimen, quod à reuelationis menſura ductum eſt.

Sed quam ob cauſſam dicitur deſideratus? τὸ διότι.

Id docent hæc dicta Prophetica & Apo

stolica. Isa. 61. v. 1. 2. 3. Spiritus Domini Iehouæ super me, eò quòd vnxerit Iehouah me: ad annuntiandum mansuetis misit me, vt alligarem contritos corde, vt prædicarem captiuis libertatem, & vinctis apertionem carceris: vt prædicarem annum beneplaciti Iehouæ, & diem vltionis Deo nostro, vt consolarer omnes lugentes: vt ponerem lugentibus in Sion, darémque eis gloriam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu constricto &c. Ioan. 11. v. 25. Ego sum resurrectio & vita &c. 1. Cor. 1. v. 30. Iesus Christus factus est nobis sapientia à Deo, iustitiáque & sanctificatio & redemtio &c.

Sic igitur argumentor à beneficiis quæ Iesus Christus nobis præstat: Rectè dicitur desideratus, qui est lux cæcis, vita mortuis, resurrectio iacentibus in puluere terræ, via recta errantibus, sapientia stultis, iustitia reis, sanctificatio pollutis & profanis, redemtio captiuis. Atqui hæc omnia & multa alia nobis est & præstat Iesus Christus Propheta, Rex & Mediator noster. Itaque rectè dicitur Desideratus.

3. *Quare autem omnium Gentium desiderium dicitur?*

Argumentabitur forsan aliquis è cõtrariò

riò in hunc modum: Ignoti nulla cupido. Gentibus ignota erat promissio, de Aduẽtu Messiæ: Iudæis autem cognita erat & perspecta. Quare horum, non autem Gentium desiderium Messias dici debet.

Respondeo per παρρησιαν: Etsi non ita fuit inculcata Gentibus promissio de Messiæ exhibitione, vt populo Iudaico: tamen quòd etiam Gentium caussa Christus mittendus esset, vt eas è potestate tenebrarum liberaret, earum desiderium rectè nuncupatur. Quidni autem eum fatearis rectè dictum desiderium tuum, qui etiam priùs quàm id cognosceres, salutis tuæ vnicus auctor, & quod solet dici, prora & puppis erat?

Argumentor autem in hunc modum: Quum Deus non nisi in Christo Iesu redẽtor sit, rectè dici Christum eorum desiderium, quorum Iehouah Deus, id est, redemtor est. Atqui Iehouah Deus est non solùm Iudæorum, sed etiam Gentium, Rom. 3. 29. Certè & Gentium. Concludo itaque Dominum Iesum tam Gentium quàm Iudæorum esse desiderium.

Maiorem probo. Nam quorum Iehouah Deus est, ij non solùm per Christum sẽ conditos, sed etiam per eundem redemtos

esse statuunt. Vt fide intelligunt perfectum esse mundum verbo Dei, sic fide iustificati pronuntiant, se credere remissionem peccatorum.

Minorem itidem probo. Deus non nisi eos quorum est Deus propitius, iustificat. Iustificat autem Circuncisionem ex fide, & Præputium per fidem. Rom. 3. ve. 30. Itaque Deus est, tam Circũcisorum, quàm non circuncisorum carne.

Hæc & similia dicta sic perpendamus, vt nostræ ex oleastro originis memores, ὁμοθυμαδὸν gratias agamus Domino nostro Iesu Christo, qui nos è potestate tenebrarũ eripuit, & in regnum lucis transtulit. Ipsi gloria perennis. Amen.

Lectio 40. 25. April. 1580.

6. *Argumentum, à gloria secundi Templi.*

Replebo domum istam gloria, dixit Iehouah exercituum.

Non dubium est Templum illud summo studio & alacritate exstruẽdum, quod gloria se repleturum Dominus promisit. Sed secundum illud templum Dominus gloria se impleturum pollicetur. Ergo &c.

1. *De Gloria, Aphorismi.*

1. Alia est carnis, alia Spiritus gloria.

2. Illa

2. Illa operum fiducia, velut ſtipulæ flãma, accenſa, fidei impedimento eſt. Ioan. 5. v. 44. Quomodo vos poteſtis credere, quũ gloriam alij ab aliis captetis, & gloriã quæ à ſolo Deo proficiſcitur, non quæratis?

3. Hæc autem in vno Chriſto perpetuò acquieſcens cum fide coniungitur. 2. Cor. 3. 18. Nos autem retecta facie gloriam Domini vt in ſpeculo intuentes, in eandem imaginem tranſformamur ex gloria in gloriam.

4. Carnis alia quædam gloria opibus, dignitate, ſucceſſibus conſtat, & communis eſſe poteſt fidelibus & infidelibus. Gen. 45. Pſal. 112. 2. Reg. 12.

5. Longè tamen ei præferenda eſt gloria ſpiritualis, quæ diuinæ benedictionis ἐν τῇς πνευματικοῖς vbertatem comitatur.

6. Ac quum vtraque fine vsúque æſtimãda ſit, hæc quæ ad noſtram inſtaurationem, Deíque gloriam præcipuè facit, illi longè præferenda eſt.

Commendatur autem hæc Dei benedictio, primùm à cauſſa efficiente, ſiue ab auctore Deo, qui & gloriæ Deus vocatur. Pſ. 29. 3. Deinde, à forma, videlicet gloria, quæ complectitur diſpenſationis Verbi cultúſque diuini εὐσχημοσύνην τῆς τάξεως, ciúſque

approbationem, quæ per fidem præstitæ declaratur imputatione perfectionis, quũ alioquin multa Deus meritò desiderare possit. Postremò, ab vbertate, quæ verbo Repleo designata fuit. Quomodo autem, & de quibus donis ea sit accipienda plenitudo, hæc dicta testantur: Et ex plenitudine eius omnes accepimus, gratiam pro gratia. Ioan. 1. 16. Item, Ascendit longè supra omnes cælos, vt impleret omnia, subaudi, donis Spiritus sancti, & vt Ecclesiæ daret fideles seruos. Eph. 4. v. 10.

2. De Templi secundi ornatu.

Etsi fatendum est, magnas opes in secũdi Templi Gazophylacio congestas, & alias ab aliis direptas esse vt historiæ testantur: hanc tamen præcipuam eius gloriam fuisse non est dubium, quòd in eo Filius Dei in carne patefactus docuit Euangelium regni.

Nos selecta quædam Scripturæ diuinæ dicta adducemus, & ex iis, quæ nã sint præcipua Templorum ornamẽta, colligemus. 1. Regum 8. v. 12. 13. Dominus dixit vt habitaret in caligine. Certè ædificaui domum habitaculi tibi, habitaculum vt habites in secula. Præsentia Dei preces exaudientis & cultum ex fide sibi præstitum boni consulentis, primum est templi decus. Quod autem

tem dicitur in manufactis Templis non habitare, Act. 7. v. 48. id non ἁπλῶς intelligatur, sed κατά τι, primùm ratione essentiæ, secundum quam non solùm in Templis, sed etiam vbique est: deinde, respectu comparationis. Non tam enim in Templo materiali, quàm in corde fideli, habitare ipsi placet. Isa. 56. v. 7. Domus mea, Domus orationis vocabitur omnibus populis. Συνεδοχικῶς, precum ex fide mentione facta, verbi & Sacramentorum liturgiam, & cultum Dei tam internum quàm externum complexus est Propheta. Certum autem est, nec anathematis, nec organis, nec cõcentu musico sic ornari Templa, vt verbi Dei dispẽsatione, quæ seruit sanctorum vsibus & ædificationi. Ioan. 2. v. 16. Tollite hinc ista: ne facite domum Patris mei, domum mercatus. Ergo domus Patris quum sit domus pietatis, nõ debet seruire profano quæstui eorum qui putant religionem esse quẽstũ, eóque nomine eò omnia dirigunt vt τῇ αὐταρκείᾳ seruiant. 1. Tim. 6. v. 5 & 6. sed ædificationi mystici corporis Christi, quod est Ecclesia.

III. De gloria Ecclesiæ Noui Testamenti.

Isa. 40. v. 5. Reuelabit se gloria Iehouæ, & videbit omnis caro pariter quòd os Iehouæ

locutum sit. Isa. 60. v. 2. Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: super te autem orietur Iehouah, & gloria eius super te videbitur. Quid hæc oracula sibi velint ex hisce dictis colligi potest, Ioan. 1. v. 14. Et sermo ille caro factus est: & commoratus est inter nos (& spectauimus gloriam eius, gloriam inquam vt vnigeniti egressi à Patre) plenus gratiæ & veritatis. 2. Cor. 3. 9, Nam si ministerium cõdemnationis fuit glorioſũ, multò magis ministerium iustitiæ abundat gloria.

IIII. De fidelium gloria.

1. Fideles esse Templa & domicilia Dei, certum est. Eph. 2. 22. In quo & vos vnà ædificamini, vt sitis habitaculũ Dei per Spiritum.

2. Ideo enim & Christus, per fidem, in cordibus eorum habitare dicitur. Eph. 3. 17.

3. Certum autem est Christo nihil commune cum ijs qui expertes sunt Spiritus sãcti & fidei. 2. Cor. 6. 15. Et quæ concordia Christo cum Belial? aut quæ pars fideli cũ infideli?

4. Fideliũ sanè vnica gloria Christus est. 1. Cor. 1. 30. 31, Sed ex ipso vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia à Deo iustitiáque & sanctificatio ac redemtio: vt,

sicut

ſicut ſcriptum eſt, qui gloriatur in Domino glorietur.

Hæc paucis annotare viſum eſt, vt ij qui velo reducto, ab vmbra ad veritatem progredi, & oraculi adyta cominus inſpicere deſiderant, ſyluulam piarum cogitationum haberent. Dominus Ieſus gloria ſua noſtrã confuſionem diſpellat, & lucis ſuæ radijs mẽtes noſtras caliginoſas illuſtret, ad æterni Patris gloriam. Amen.

Verſus 9.

Lectio 41. 26. April.

Meum eſt argentum & meum eſt aurum, dixit Iehouah exercituum.

Anthypophora eſt, qua diluit hãc obiectionem, Tẽplum Salomonis iã olim conſpicuum erat auro, argẽto, ære, ſiue quis vaſa eius, ſiue ἀναθήματα ſpectaret: hoc verò Templum quis tandem locupletabit & ornabit auro & argẽto? Nemo, hercle, nemo.

Reſpondet Dominus, ſuum eſſe argentũ & aurum omne, quod in toto mundo ſit: verùm his licèt nobilibus metallis non ornari Templa: ſed longè alijs ornamentis, de quibus ſuprà dictum eſt & paulò poſt dicetur.

De aureis & argenteis Templorum vaſis inſtitutio breuis παραλαγωδῶς adumbrata.

1. Aureorum & argenteorum vasorum vsus necessarius erat iam olim in Leuitica ἱερεργίᾳ. Id colligi potest primùm ex mandatis Dei specialibus de metallis istis colligendis,& vasis ad varios vsus ex eisdem cõficiendis:deinde,ex ritibus sacris sacrificiorum, suffimentorum, Sacramentorum &c. Ac multa habuit ceremonialis ille cultus peculiaria,quæ citra κακοζηλίαν nos imitari non possumus: quum multò alia nunc sit λειτεργίας ratio.

2. Nunc indifferens eorum vsus est: quũ de materia vasorum, quibus vtimur in dispensatione Sacramentorum, nullum speciale mandatum extet: & Christum eiusq; Apostolos vulgaribus vsos esse, nihil dubium sit.

3. Meminerimus itaque vasa,quibus iam vtimur, non materiæ pretio aut vilitate, nec formæ artificio singulari, sed vsu finibúsque æstimanda esse. Vtinam hoc cogitẽt qui non nisi adhibitis calicibus ad similitudinem Missaticorum paratis,Cœnam Domini celebrari posse putant, & eo nomine pocula diu à nostris vsurpata in calices conuertunt.

4. Fatendum est non multis post Apostolorum tempora seculis, submotis vasculis pri-

primùm ligneis, deinde vitreis, aurea & argentea vsurpari cœpisse, si quãdo Sacramẽta administranda essent. Zepherinus papa ligneis vasis submotis, vitrea substituit. Vrbanus autem, qui Pontificatum iniuit anno Christi 227. Alexãdri Seueri anno. 3. decreto Zepherini antiquato, edixit, vt argẽtea & aurea, & si hæc deessent, stannea vasa adhiberentur. Prudenter ille quidẽ, si Deo placet, & pauperibus & locupletibus consuluit: concessurus, opinor, ligneorum & vitreorum vasorum vsum, si metallica defuissent. Sed hæc operæpretium, arbitror, erit, ea recitare quæ habentur in iure Pontificio, Distinct. 1. Vasa in quibus sacrosãcta conficiuntur mysteria, calices & patenæ: de quibus Bonifacius Martyr & Episcopus interrogatus, Si liceret in vasculis ligneis Sacramenta conficere: respondit, Sacerdotes quondam, non aureis, sed ligneis calicibus vtebantur. Zepherinus 16 Romanus Episcopus patenis vitreis Missas celebrare cõstituit. Deinde Vrbanus papa omnia ministeria sacra fecit argentea. In hoc enim sicut & in reliquis cultibus magis ac magis per incremẽta temporum, decus succreuit Ecclesiarum. Nostris enim diebus qui serui Patrisfamiliãs sumus, ne decus Matris Ec-

cleſiæ minuatur, ſed magis cumuletur & ãplificetur, ſtatuimus vt deinceps nullus Sacerdos ſacrum myſterium corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti in ligneis vaſculis vllo modo conficere præſumat: ne vnde placari debet, inde iraſcatur Deus. Itẽ Vt Calix Domini cum patena, ſi non ex auro, tamen ex argẽto fiat. Si quis autem tam pauper eſt, ſaltem vel ſtanneum calicẽ habeat. De ære autẽ ex aurichalco nõ fiat calix quod ob vini virtutẽ æruginẽ facit, paritérque vomitũ facit. Nullus autẽ in ligneo aut vitreo calice preſumat Miſſam cantare.

Obſeruabimus autem in his Conſtitutionibus.

1. Quòd à frugalitate ſimplicitatéque Apoſtolica Romana Eccleſia citò defecerit.
2. Quòd recentiores pontifices prædeceſſorum ſtatuta quandoque aboleuerint.
3. Quòd auro & argento decus Eccleſiæ æſtimauerint, quũ tamẽ præcipuũ Eccleſiæ ornamentum ſit ſinceritas doctrinæ, Sacramentorum & vitæ.
4. Quòd Deum aureis & argenteis vaſis delectari, vilioribus offendi fingant. Malè ſcilicet Eccleſiæ Apoſtolicæ conſultũ fuit, quæ ligneis vſa eſt vaſculis, ſiquando Sacramenta adminiſtranda fuerunt.

Conſtan-

Constantinus Magnus vasis aureis & argenteis mirum in modum Templa locupletauit: sed Iulianus Apostata non multò post eadem diripuit: vt Histor. Eccles. testatur.

5. Sancti tamen Episcopi maiorem habuerunt rationem vasorum viuentium, quàm metallorum. Eius rei illustre exemplum extat in historia Ambrosij, qui lib. 2. Offic. cap. 28, scribit: Vt nos aliquando in inuidiam incidimus, qui confregerimus vasa mystica, vt captiuos redimeremus: quod Arrianis displicere poterat, nec tam factũ displicere, quàm vt esset, quod in nobis reprehenderent. Et paulò post: Quam caussã nos etsi non sine ratione aliqua gessimus, tamen ita in populo prosecuti sumus, vt confiteremur, multóque fuisse commodius adstrueremus, vt animas Domino, quàm aurum seruaremus. Qui enim sine auro misit Apostolos, & Ecclesias sine auro congregauit. Aurum Ecclesia habet, non vt seruet, sed vt eroget, & subueniat in necessitatibus. Quid opus custodire, quod nihil adiuuat? An ignoramus quantum auri atque argenti de Templo Domini sustulerint Assyrij? Nónne melius conflat Sacerdos propter alimoniam pauperum, si alia subsidia de-

sint, quàm sacrilegus cõtaminata absportet hostis? Nónne dicturus est Dominus: Cur passus es tot inopes fame emori? Et certè habebas aurum, vt ministrasses alimoniam. Cur tot captiui deducti in commercium sunt, nec redemti? Cur tot ab hoste occisi sunt? Melius fuerat vt vasa viuentium seruares, quàm metallorum.

Huc facit Lex 17. in Codice, lib. 1. Tit. 5. l. Sancimus. Si necessitas fuerit in redemtione captiuorum, tũc & venditione præfatarum rerum, & hypothecam & pignorationem fieri concedimus: quum non absurdum sit, animas hominum quibuscunque caussis, vel vasis, vel vestimentis præferri.

6. Quid iis respondendum sit, qui Sacramentis dignitatem deesse, si non vsurpentur aurea & argentea vasa, vociferantur, hæc diui Ambrosij verba docent: Timui, diceres, ne templo Dei ornatus deesset? Responderet: Aurum Sacramenta non quærunt, neque auro placent, quæ auro non emuntur. Ornatus Sacramentorum, redemtio captiuorum est. Et verè illa sunt vasa pretiosa, quæ redimunt animas à morte, &c. eodem cap.

7. Itaque si vtamur in nostris Templis vasis

vasis aureis & argenteis in liturgia Cœnæ Domini, sic tamen vtamur vt absit ostentatio & opinio de necessitate & de materiæ pretio. Nec committamus vt de nobis dici possit illud Apophthegma Ecclesiasticum: Olim erāt Sacerdotes aurei & vasa lignea: nunc verò sunt lignei Sacerdotes, & vasa aurea.

8. Ne autem vitilitigationē instituamus aduersus Ecclesias orthodoxas (inter quas Tigurina est) quæ frugalitatem simplicitatémque primitiuæ Ecclesiæ sequuntur, & vásis ligneis, mundis tamen & ad institutum commodis vtuntur. Nam si putamus, non nisi aureis aut argenteis vasis adhibitis, Cœnam Domini decēter celebrari posse, cur in Baptismi liturgia, non etiam desideramus aurea aut argentea Baptisteria & labra? Nisi fortè opinamur maioris nobis faciēdam Cœnam Domini & eius dispensationem, quàm Baptismum, qui regenerationis nostræ lauacrum est.

Versus 10.

Maior erit gloria Domus huius posterioris gloria prioris, dixit Iehouah exercituum: & in loco isto dabo pacem, dixit Iehouah exercituum. Lectio 43. Apri. 29.

7. *Argumentum à comparatione primi & secundi Templi.*

Cuius Templi maior erit gloria, quàm fuerit primi illius à Solomone Rege ædificati, illud promptè & studiosè ædificandũ est. Neque enim est cur quisquam causetur inglorium & nullius pretii & æstimationis fore. Sed huius secundi templi maior erit gloria quàm illius primi fuerit, ipso Iehouah exercituum attestante. Ergo &c.

De inexpectatis Dei operibus.

In diuinis Scripturis sæpenumero mirabilia Deus facere dicitur, tum quia regulariter pietatem præmijs ornans, impietatẽ autem puniens, humiles extollit, superbos deprimit: tum quòd ἀπροσδοκήτως ferè deperdita instaurat, & ea quæ maximè florere videntur, iusto iudicio destruit. Psalm. 75. v. 6. & 7. Neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque à deserto est exaltatio. Nã Deus gubernator est: hic humiliat & hic exaltat. Horum Dei operum meditatio alere & accendere in nobis debet Dei timorem, & spem mitigationis eorum quibus premimur malorũ. Iudæi olim putabant, nunquam fieri posse, vt posterius Templũ priori vlla in re responderet. Nec alia erat imaginationis istius causa, quàm quòd in se

ſe & in res anguſtas populi Iudaici, nõ autem in Deum reſpicerent. Sed Propheta nomine Iehouæ armipotentis denuntiat rem Iudæis ὀλιγοπίστοις inopinatam, videlicet maiorem fore iſtius Templi gloriam, quàm vnquam primi illius fuiſſet. Quoties autem in rebus aduerſis eò adducimur quò ſe Dauid abreptum ingenuè fatetur. Pſal. 31. v. 22. Ego autem dixeram in præcipitatione mea, proiectus ſum à conſpectu oculorum tuorum: vtique tamen exaudiuiſti vocem deprecationum mearum, dum clamaui ad te. Duremus itaque, & quantum quidem in nobis eſt, rebus ſecũdis noſmetipſos ſeruemus. Eſt hac ætate noſtra vehementer perturbata Eccleſia Dei in Germania noſtra, & quidem eorum conſiliis & conatibus, qui κατακυριεύειν τῶν κλήρων, & ἑτεροδιδασκαλίας ſuas omnibus aliis obtrudere malunt, quàm eſſe exemplaria gregis: vt Petrus loquitur, 1. Eph. 5. v. 3. Nos verò harmoſtarum illorum præiudicia iniqua & anathematiſmos eorum magno feramus animo, & Dei iudicia, quorum documenta ſubinde edit, obſeruantes, expectemus mitigationem iſtorum malorum. Fidelis enim Deus eſt, qui non patietur nos tentari ſupra id quod ferre poſſumus. Non dormitat

neque dormit qui custodit Israelem. Huic ergo vni Ecclesiam & nos omnes commẽdemus

8. A pacis & Spiritus sancti donorum vbertate.

Et in loco isto dabo pacem, dixit Iehouah exercituum.

Pacis nomine, καὶ σωτηρίαν, genus omne donorum spiritualium denotat. Neq; enim terrena pax diu concessa fuit Iudæis, & Templum secundum sæpe spoliatum, tandem etiam incensum & euersum est. Sic autem argumentatur Haggæus: Deus in hoc loco & Templo pacem dabit, Euangelium annuntiari curabit, effundet Spiritum gratiæ & precum. Quare decet vos sacro operi incumbere, vt præcipuo vestro bono, Domino Deo vestro Templi huius secundi instaurationem præcipienti obediatis.

Obiectio. Dominus Iesus inquit: Venit hora, quando neque in monte hoc, neque Ierosolymis adorabitis Patrem. Ioan. 4. v. 21. Non igitur dedit Deus pacem in illo loco. Neque enim vlla dari potest, sine precibus & fide aliisque donis. Nego consequentiam, & ratio est, quia est ignoratio Elẽchi. Non enim ἐν τῷ αὐτῷ χρόνῳ ista dicuntur. Deus pacem dedit in eo loco, seruatis & vber-

bertate donorum Spiritus sancti mirum in modum locupletatis piorum reliquiis, donec exhibito Messia, Iudæi ob inuincibilẽ suam σκληροκαρδίαν reiecti sunt,& vrbs sãcta cum Templo euersa & deleta fuit, Euangelio salutis inter Gentes longè latéque propagato,fidéque Christo Iesu in mundo habita.

De Præsentia gratiæ Dei.

1. Vt Solis ortum lux comitari solet humana illustrans:ita præsentiam gratię Dei, donorum illius communicatio & effusio subsequitur.

2. Deus enim vbicunque est, liberè & efficaciter est & agit.

3. Interdum locis, gentibus & personis ad tempus adest.Hoc tempus vocatur ὁ τῆς ἐπισκοπῆς καιρὸς, Luc.19.44.

4. Iusto autem iudicio quosdam deserit. Matt.23.38, Ecce,relinquitur vobis domus vestra deserta.

5. Electorum autem Ecclesiam nunquã deserit Dominus.Isa.54.v.7.Momento paruo dereliqui te, at in miserationibus magnis congregabo te. 8. In momento iræ abscondi faciem meam ad momentum: at in misericordia sempiterna misertus sũ tui, dixit Redemtor tuus Iehouah. 10.Montes

enim mouebunt se, & colles nutabunt: misericordia autem mea à te non recedet, & fœdus pacis meæ non nutabit, dixit miserator tuus Iehouah.

6. Idem de singulis fidelibus iudiciũ est. Nam & his adest Dominus Spiritus sui virtute & gratia. Instruit eos donis pulcerrimis & salutaribus, fide, spe, charitate, patiẽtia & aliis, quæ sanè documenta sunt præsentiæ gratiæ Dei. Vt maximè autem tales persecutionem sustineant, & à ψευδαδέλφοις bruto fulmine, & temerariis anathematismis impetantur, tamen nobis in pretio habendi sunt, quum idem eorum fatum sit quod olim fuit Prophetarum & Apostolorum. Notum est illud Dauidis: Sed ad sanctos qui in terra sũt, & fortes, erga quos omnis voluntas mea est. Psal. 16. v. 3.

Lectio 43.

Versus 11.

Vicesima & quarta die mensis *noni, anno secundo Dariaues, fuit verbum Iehouæ, in manu Haggai Prophetæ, dicendo.*

Hic versus oraculi secundi hoc capite traditi circunstantias complectitur, de quibus ordine & breuiter agam.

1. Tempus. Anno secundo imperij Darij Histaspis filij, qui natalem Christi præcessit

sit circiter 519. annos, & incidit in annum ab orbe creato 3444. secundum Funcianam χρονολογίαν: die 24. Decembris, qui mensis Hebræis est Cisleu, oraculum hocce promulgatum fuit. Videmus Prophetas diligẽtiæ suæ exemplis, nos quoque mouere, vt quibus temporibus doctrina cælestis repurgata & illustrata sit, quæ temporum signa accesserint, quorum ministerio Deus sit vsus, attentè obseruantes in fide confirmemur, & Dei nomen sanctificemus.

2. Auctor. A Iehouah armipotente oraculum istud profectum est. Non enim hominum libidine allata est olim Prophetia, sed acti à Spiritu sancto locuti sunt sancti Dei homines. Inde igitur ὐσόχως colligimus nullam Prophetiam Scripturæ esse propriæ explicationis: 2. Pet. 1. 20. 21. eóque nomine docentibus in Ecclesia, ad fidei analogiam omnia exigenda, & habendam esse rationem dignitatis Prophetiæ, siue quis rerum synceritatem, siue orationis castimoniã spectet. Iuxta hæc dicta: Εἴτε προφητείαν, κατὰ τὴν ἀναλογίαν πίστεως: Rom. 12. 6. Item, Εἴ τις λαλεῖ, ὡς λόγια θεοῦ. 1. Pet. 4. 11.

3. Præco. Haggæus propheta & legatus Iehouæ. Deus enim multis vicibus multísque modis olim locutus est Patribus per

Prophetas. Hebr.1.v.1. Nunc alloquitur nos per fideles Ecclesiarũ Ministros, quos quicunque audit, Dominum Iesum audit Luc.10.16. Sed hos cogitare oportet, non suo ipsorum, sed Dei nomine sese loqui, eóque nomine summa cum religione loqui debere, ne νῦν προσωποσβείας olim subire cogantur.

De dispensatione Mysteriorum Dei.

Quum toties dicatur Dominus locutus per Haggæum Prophetam, vt fides & auctoritas oraculis istis concilietur: & magnũ sit operæpretium probè scire, quo pacto ordinaria dispensatio mysteriorum Dei peragatur, de ea ἀκριβῶς agam. Dominus Iesus det vt cum magno fructu istud quoque κεφάλαιον tractemus, & in eo sapientiam bonitatémque Dei adoremus.

1. Mysteria Dei vocamus, ea omnia doctrinæ fidei, spei & charitatis capita, quæ verbo Dei annuntiantur, & Sacramentis obsignantur.

Mysteria vocamus, quòd longè superẽt captum animalis hominis. Sunt enim ei stultitia, nec potest ea cognoscere, quia spiritualiter diiudicantur. 1.Cor.2.14. Dei mysteria dicuntur, quòd vt ab eo solo profecta sunt, ita quoque reuelantur. Matt. 11. 27.

27. Neque Patrē quisque nouit nisi Filius, & cuicunque voluerit Filius retegere. Item, Caro & sanguis hæc non retexit tibi, sed Pater meus qui est in cælis. Matt. 16. 17.

2. In his omnia ad Christum, qui factus est sapientia, iustitia, sāctificatio & redemptio nostra, referri debēt. 1. Cor. 1. 30. Christus sanè, vt est πάντων ἀντάξιος ἄλλων: sic omnia, salutis nostræ gratia, nobis factus est: vt hoc nobis decretum esse debeat, nihil scire inter alios homines, nisi Iesum Christum, eúmque crucifixum. 1. Cor. 2. 2. Noti sunt versus:

Si Christum discis, nihil est quòd cætera nescis:

Si Christum nescis, nihil est quòd cætera discis.

Discere Iesum, omni scibili est salubrius, vt in epistola quadam Bernardus ait: qui alibi piè dicit: Nomen Iesu cibum esse & lucem & medicinam. Vt autem Christus omnia nobis factus est: sic decebat vitam nostram omnem, studia & actiones, nihil aliud redolere quàm fidem, quàm charitatem, quàm humilitatem, quàm iustitiam, quàm denique (vt omnia ἐν ὄπτομμῃ cōplectar) Christū Iesum Dominum nostrum in nobis habitātem, & regnantem.

3. Oraculorum autem diuinorum promi & condi sunt fideles Ministri Testamenti Dei, quos τὰ πνευματικὰ σπείρειν, Paulus Apostolus auctor est. 1. Cor. 9. 11. In his requiritur fides. 1. Cor. 4. 2. ζητεῖται ἐν τοῖς οἰκονόμοις, ἵνα πιστός τις εὑρεθῇ.

Obiectio. Paulus ait: Nam huic quidē per Spiritum datur sermo sapientiæ, alij verò sermo cognitionis per eundem Spiritum 1. Cor. 12. 8. Ergo spiritualia dona non conferuntur à Ministris.

Respondeo. Quæ sunt subordinata, non pugnant. τὰ πνευματικὰ χαρίσματα Deus solus largitur, si αἴτιον κύριον spectes: at si causas organicas, ἔξωθεν famulantes cōsideres, occurrit illud Apostoli: Quis igitur est Paulus, quis autem Apollos, nisi Ministri per quos credidistis, & vt cuique Dominus dedit? 1. Cor. 3. 5.

Atque hoc loco monēdi sūt iuniores, vt accuratè discernant illa dicta, in quibus de toto Ministerio συλλήβδην agitur, & ea in quibus ex parte, hoc est, vel de interno, vel de externo Ministerio agitur. Nā si priorē ordinem respicient, deprehendent, sæpe κῦρ συνεκδοχήν, Ministris verbi, tanquam famulantibus caussis tribui id quod propriū caussæ efficientis principis. Vt testātur hæc duo

duo dicta, quibus iam contenti erimus. Si quorũ remiseritis peccata, remittuntur eis: si quorum retinueritis, retenta sunt. Ioan. 20.23. Item, Attende tibiipsi & doctrinæ: perſiſte in iſtis: id enim ſi feceris teipſum ſeruabis & eos qui te audierint. 1. Tim. 4.16.

De partibus Miniſterij κατ' ἀντίθεσιν Paulus loquitur, quum ait: Itaque neque qui plãtat aliquid eſt, neque qui rigat: ſed Deus, qui dat incrementum. 1. Cor. 3.7.

4. Vt autem Miniſtris nõ licet Sacramẽtorũ σφραγίδας à verbis Fœderis ſeparare: ſic non licet σχέσιν τῆ συστοιχείωσιν rerum ſpiritualium & ſignorum tollere. Etſi non ignoramus, Deum qui liberrimum agẽs eſt, aliàs mediatè, aliàs immediatè agere, ac, ſi velit, res Spirituales ſine externis ſymbolis cõferre poſſe: nos tamẽ decet iuxta præſcriptum ab eo canonem omnia decenter & ordine adminiſtrare.

Contra. Paulus ait: Nõ miſit me Chriſtus vt Baptizarem, ſed vt euangelizarem. Igitur ſeparari poſſunt verbum & Sacramenta.

Reſpondeo, Paulum ita locutum κατὰ πῶ, ratione cõparationis, vt ſignificaret ſe præcipuè ad euangelizandum eſſe miſſum: non autem ἁπλῶς negare ſe miſſum vt baptiza-

ret, id quod etiam ex præcedentibus liquet.

5. Quemadmodum enim corpore & animo homo constat: ita signis αἰσθητοῖς & rebus spiritualibus καὶ νοητοῖς sacra λειτουργία constat.

Corpus non est dedecori animo, qui illius velut aptissimi instrumenti ministerio vtitur, ad multas præclaras fūctiones obeūdas. Et Signa diuinitus instituta & præcepta non sunt dehonestamento rebus spiritualibus, & τῇ λογικῇ λατρείᾳ, sed ad hæc repræsentanda, consilio Dei seruiunt.

Lectio 44. 10. Maij.

Obiectio. Deus sæpe testatur Ceremoniarum cultum sibi displicere à se non præceptum &c. Iuxta hæc dicta: Quoniam non vis sacrificium, & dedissem: holocaustū non vis. Psal. 51. 18. Item, vt quid mihi offertis multitudinem victimarum vestrarum, dicit Iehouah? satur sum. Isa. 1. 11. Item, Misericordiam volo, & non sacrificium: & cognitionem Dei præ holocaustis Hos. 6. 6. Ergo sacra λειτουργία rebus spiritualibus tantùm constat: nec opus est signis externis.

Responsio. A dicto secundum quid ad simpliciter dictum non valet consequentia. In primo dicto, κρίσιον, præfertur gratiarum actio sacrificijs: pietas corporali exercitationi. In secundo, non simpliciter sacri-

sacrificia damnantur, sed ea qnæ cum opinione de opere operato sine fide offerebantur à superstitiosis hominibus. In tertio, moralia ceremonialibus, cultus rationalis τοῖς ἱεροπικοῖς præfertur. Itaque non simpliciter damnantur opera diuinitus præcepta.

6. Vt Sacramenta incurrunt in sensus, & verbum externum ferit aures auditorum: sic res Sacramentorum in αἰσθητήρια fidei incurrunt, & fide percipiuntur.

Rationes.

1. Nam Sacramenta sunt visibilia τὰ θεόπνευστα signa inuisibilis gratiæ & Spiritualium donorum.

2. Res Sacramentorum sunt inuisibiles: fides autem est πραγμάτων ἔλεγχος οὐ βλεπομένων. Hebr. 11. 1. Et fides hæc cordi est vice oculorum, aurium, oris, manuum quibus Christus apprehēditur & nobis applicatur.

207. Verbum vitæ Christus habet: Ioan. 6. 68. Ac Patre ἔσωθεν docēte, Legémque cordi inscribente, fimus διδακτοὶ τοῦ θεοῦ. Ier. 31. 33. Ioan. 6. 45. Verbum autem, quod illius symbolum est, Ministri verbi ἔξωθεν annūciant.

Contra. Isa. 40. 2. præcipitur Seruis Dei vt loquantur ad cor Ierusalem. Ergo Ministri verbi etiam ἔσωθεν cordi loquuntur.

Nego consequentiam, quia in Antecedēte causſæ famulanti, videlicet Ministerio externo, id tribuitur quod proprium est efficientis principalis, videlicet Christi, qui ministerio interno fungitur & corda alloquitur. Ratio autem φεάσεως ducitur à fine, quia docentium in Ecclesia destinatum est, sic aures viua voce verbi diuini afficere, vt ἐνέργια in corde vigeat, & erumpat in opera quæ deceant resipiscentiam. Agnoscamus itaque συμφωνίαν Ministri verbi foris nos alloquentis, & Dei Patris intus dicentis cōsolationem in cordibus nostris: nec contrà quàm res ipsa loquitur, ordine inuerso, Ministro externo ea ἁπλῶς tribuamus, quæ Dei solius sunt: neque huic ea, quæ illius sūt indistinctè affingamus. Christi loquentis vocem corde puro excipiamus: Ministri vocem patula aure hauriamus.

8. Deus circumcidit corda, Deut. 30. 6. Homo autem circumcidit carnem præputij. Gen 17. 24. 25.

Hæc nemo non videt, carnem præputij non immediatè à Deo præcidi: sed ab homine amputari: è contra cor hominis immediatè à Deo circumcidi. Eo sane nomine Paulus circumcisionem cordis ἀχειροποίητον vocat Col. 2. 11. Stephanus protomartyr

tyr Iudæos carne, non Spiritu circuncisos, ἀπερίτμητοις τῇ καρδίᾳ. Act. 7. 51.

Obiectio. Dominus præcipit Deut. 10. 16. Circuncidite igitur præputium cordis vestri, & ceruicem vestram ne induretis vltrà. Igitur ab hominibus non tantùm præputij, sed etiam cordis circuncisio perficitur.

Respondeo, Pelagianam esse λεπτολογίαν à non caussa vt caussa, si quis è præcepto colligat facultates & vires hominis. Rectius Augustinus, Ex præceptione, inquit, disce quid debeas habere: ex correptione, tuo te vitio non habere: ex oratione, à quo petere debeas id quod debes habere.

9. Ministri verbi baptizant aqua: Christus autem baptizat Spiritu sancto & igni. Matt. 3. 11.

Hanc διαξίαν dispensationis Baptismi ne quis inuertat. Statuamus autem non minùs verè à Christo nos Spiritu sancto & igni baptizari ἔσωθεν, quàm nos ἔξωθεν à Ministris verbi aqua perfusos, persuasum habemus.

Contra. Vnum ab eodem ministro cõfertur. vnum est Baptisma. Eph. 4. 5. Igitur Ministri non solùm aqua, sed etiam Spiritu baptizant.

Respondeo ad Maiorem, in qua est primùm ὁμωνυμία in vocabulo *Vnum*: deinde Petitio principij. Baptisma enim vnum dicitur, non ratione signi & signati, sed eorũ quibus commune est. Etsi igitur, quia eodẽ omnes baptismate sumus baptizati, cõcordes esse conuenit: non tamen ex eo sequitur, Spiritus baptisma à ministris externis subministrari: nisi μετωνυμικῶς quispiam lo quatur.

10. In Eucharistia fidelibus Christus dat panem, qui eius est caro pro mundi vita data: Ioan. 6. 51. Ministri verò dant panem. 1. Cor. 11. 28. Idem iudicium est & de sangui ne Christi, eiúsque Sacramento, videlicet vino Domini.

Etiam huius σὐταξίας dispensationem ne corrumpamus. Vt enim oculis cernimus τὰ ὁρατὰ: auribus percipimus sonos & verba: olfactu odores: tactu quatuor primas qualitates: sic in sacra Cœna, signa visibilia & terrena, panem inquam & vinum Domini adspicimus, & ore φυσικῶς absumimus: res autem inuisibiles, cæleste, quæ non in sensus externos incurrunt (corpus videlicet Domini pro nobis traditum, & sanguinem eiusdẽ pro nobis fusum) fide, quæ est πραγμάτων ἔλεγχος μὴ βλεπομένων, agnoscimus nobis

nobis offerri, & sola, simplice & inexquisita fide à nobis percipi: vt Cyrillus inquit.

Bone Deus quàm insulsa ἀμουσολογία καὶ περιαλογία est in φράσει, qua nõnullos (quorum opera nunc quidem nos tentat & explorat Dominus) vti videmus: corpus Christi oraliter, aut corporis ore percipitur: & quidem tam ab infidelibus quàm à fidelibus? Item, Corpus Christi verum manu Ministri verbi, in os sumentis inseritur. Cohorresco cogitans, quæ ex eis sequantur. Non minus enim ineptè loquuntur, quàm si quis ordine rerum perturbato, dicat, Terrena quidem ore animæ percipi: cælestia autem ore corporis. Nos per gratiam Dei in veritatis via perseuerantes, pro iis qui à nobis dissentiunt religiosas concipiamus preces, vt eorum oculos Dominus aperiat & det τὸ ἓν φρονεῖν nobiscum in Domino.

Quid tibi videtur, de Macarij Ægyptij nobili dicto: Ἄρτος καὶ οἶνος ὁ ἀντίτυπος τῆς σαρκὸς αὐτοῦ καὶ αἵματος· καὶ οἱ μεταλαμβάνοντες ἐν τῷ φανερῷ ἄρτῳ, πνευματικῶς τὴν σάρκα τοῦ κυρίου ἐσθίουσιν? &c.

Valde mihi quidem dictum illud probatur: nec difficile esset multa ὁμόψηφα dicta congerere. Satis tamen nobis facere debet quòd idem extat in Confessionis Basilien-

sis declaratione.

Sed quidam absurdum esse putãt, si quis corpus Christi, non quidem corporaliter, sed tamen spiritualiter edi dicat? Sic enim illi argumentantur: Corpus Christi editur. Igitur corporaliter editur, non spiritualiter.

Vt κεφαλαιωδῶς respondeam:

1. Aio in sacra illa Cæna à nobis non minùs verè corpus & sãguinem Domini percipi, quàm Domini panem & vinum. Constat enim Eucharistia rebus illis terrenis & cælestibus, quæ etiam ambo à nobis percipiuntur.

2. Sed addo de cælestium rerum perceptione, illas non nisi Spiritualiter à nobis percipi. Rationem hanc nunc addo: quia illæ res non adsunt localiter, eóque nec visibiliter. Localiter autem & visibiliter ideo non adsunt, quia nec corporaliter adsunt, eóque nec in sensus externos incurrunt. Præclarè sanè habet decretũ Nicenæ Synodi de sacrosancta Eucharistia: Επὶ τῆς θείας ζαπέζης πάλιν καὶ ζαῦθα, μὴ τῷ ὀφθαλμῷ ὁρωμένῳ ἄρτῳ, μὴ τῷ ποτηρίῳ ταπεινῶς προσέχωμεν, ἀλλ' ὑψώσαντες τὴν διάνοιαν, πίστει νοήσωμεν εἶναι ταῦτα ὑπὸ τῆς ἱερᾶς ἐκείνης ζαπέζης τὸν ἀμνὸν τοῦ θεοῦ, τὸν αἴροντα τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, ἀ-

δύτως

οὕτως ὑπὸ τῶν ἱερέων θυόμενον, καὶ τὸ τίμιον αὐτοῦ σῶμα καὶ αἷμα ἀληθῶς λαμβάνοντας ἡμᾶς πιστεύειν, ταῦτα εἶναι τὰ τῆς ἡμετέρας ἀναστάσεως σύμβολα. Διὰ τοῦτο δὲ οὔτε πολὺ λαμβάνομεν, ἀλλ' ὀλίγον, ἵνα γνῶμεν ὅτι οὐκ εἰς πλησμονὴν, ἀλλ' εἰς ἁγιασμόν.

Possem addere & aliam rationem à finitione manducationis physicæ, & corporalis, quæ monet carnem Christi viuificam, nequaquam corporaliter & oraliter edi. Extat illa, Marc. 7. 18. 19. Sed de ea aliàs dicam, si volet dabitque Dominus.

3. Si quis dicat Sacramentaliter edi corpus Christi, non spiritualiter, eum orabimus vt propriè cum Ecclesia loqui discat, nec tenebras offundat iuuentuti. Quum panis Domini Sacramentũ corporis Christi sit, eóque κατὰ μετωνυμίαν panis dicatur corpus Christi, qui hunc edit panem, sacramẽtaliter edit corpus Christi. Vt hæc intelligantur à iunioribus, dico corpus Christi aliàs propriè dici, aliàs metonymicè. Propriè dictum Christi corpus, vt verè & spiritualiter nobis manducandum exhibetur, ita verè & spiritualiter à nobis percipitur. Metonymicè verò dictum Christi corpus, hoc est panis Domini, si eum vt panem spectes, physicè editur: si autem vt Sacramentum

corporis Christi, qui panem hunc edit, sacramentaliter Christi corpus edit. Verùm hæc ἐν παρόδῳ, attigisse sufficiat. In bona enim caussa vel tria verba sufficiunt. Dominus det vt omnia ad ipsius gloriam & nostram institutionem faciant.

Lectio 45. Maij. 11. 1580.

Διαρθρωσις, & indicatio dispositionis partium oraculi, de Censura Religionis & vitæ Iudaici populi.

De vsu partium lib. 7.

Si, Galeni sẽtentia, nõ aliter versã dũ est Medicis in anatome cerebri, quàm in tẽplo, in quo εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν sacra peraguntur: multò magis sacrarum literarum studiosos summa cum religione in schola Spiritus sancti, ὀρθοτομεῖν τὸν τῆς ἀληθείας λόγον oportet. Precor itaque Deum æternũ, vt nos per veritatem suam sanctificet, nobísque det vt oraculi istius adyta religiosè ingrediamur, & ea inde colligamus & reportemus, quæ ad diuini nominis sanctificationem, nostrámque salutem faciunt.

Si etiam omne ordinatum pulcrum est, vt ait Augustinus in lib. de vera religione, pulcerrima est oraculi huius explanatio, quum ordine optimo constet. Eum, instrumento διαιρετικῷ adhibito, iam declarare propositum nobis est.

Partes

Partes Oraculi duæ sunt, ἔλεγχος καὶ παραίνεσις.

Elenchi (in quo Iudæos, eorúmque λειτουργίαν, impuritatis causſa Deo hactenus displicuisse coarguit) hæc est œconomia partium.

1. Proœmium, de Circunstantiis Personarum αὐτοκατακείτων. v. 12.

2. Problema primum, de rebus non sanctificantibus: & eius expositio inficiatione constans. v. 13.

3. Problema secundũ, de iis quæ immũdum faciunt: & eiusdem λύσις καταφατική, ver. 14.

4. Parabolicorum Problematum accommodatio ad institutum, in qua docet, & populum Iudaicum, & cultum quem ille nondum extructo Tẽplo præstitisset Deo, impurum fuisse, eóque nomine Deo ingratum. v. 15. Videmus autem in his omnibus esse προκατάληψιν aduersus obiectionem: quasi verò Sacrificia nostra, Sacramenta, feriæ & totus ceremoniarum à Deo præscriptarum apparatus, nondum extructo templo, Domino displicere potuerit, vt eorum gratiâ Templum ædificare necesse sit, ne Deo minùs probentur? Respondet Propheta, hactenus omnia illa profana & Deo

ingrata fuisse, quòd, neglecto templo (quod ædificari Deus volebat) ceremoniis eius gratiam demereri mallent.

Παραίνεσις.

Altera oraculi pars exhortatione ad seueriorem vitæ æstimationem constans, à superiore dependet, & in hunc modũ subdiuidi potest.

1. Ἀνάμνησις anteactæ vitæ, & malorum quibus illa obnoxia fuisset, ac caussarũ præcipuarum. Decet enim pios sub paterna Dei ferula & castigatione proficere: & ei rei præteritorum malorum recordatio & expensio non parum conducit. τὸ ὅτι habetur v. 16. 17. τὸ διότι versu 18. Testatur Deus à se percussos Iudæos, & quòd ἀμεταμέλητοι fuissent, vitio eis datur.

2. Promissio benedictionis, qua Deus post cœptam Templi ædificationem Iudęos sit prosecuturus. Hoc autem loco obseruabimus duas circunstantias, alteram quidem Temporis, alteram verò Personarum: quis enim & quibus benedicturus sit, edocet. v. 19. 20.

Hæc omnia eò faciunt, vt intelligamus, maledictos quidem esse eos omnes, qui occupationibus sacris, ciuilibus & familiaribus sic defunguntur, vt gloriæ Dei & ædificationis

cationis Ecclesiæ nullam habeant rationẽ: benedictos autem esse, qui τὰ ἱερατικὰ καὶ τὰ βιωτικὰ sic administrãt, vt ante omnia Deo dent ea quæ eius sunt, & vt instaurandæ Ecclesiæ totis suis viribus adsint.

Versus 12.

Sic dixit Iehouah exercituum, Interroga nunc Sacerdotes Legem.

Sententia est, Propone Sacerdotibus, qui se profitentur esse cæcorum duces, lucem eorum qui sunt in tenebris, eruditores insipiẽtium, magistros infantium, eò quòd habeant μόρφωσιν τῆς γνώσεως καὶ τῆς ἀληθείας ἐν τῷ νόμῳ (Rom. 2. 19. 20.) quæstiones non alienas ab eorum professione, sed legales & professionis eorũ proprias, &c. Hoc loco obseruabimus.

1. Quum sunt emendandæ Religionis corruptulæ, initium faciendum à docentibus in Ecclesia, non à discentibus. Nisi enim illi in veritatis viam reuocentur, cæci erunt duces cæcorum.

2. Et quum errorum illi cõuincendi sunt, religioso zelo & prudentia vtendum, vt ὠθούμενοι dent gloriam Deo & veritati cedant. Nam si docentes conuincantur erroris, séque in viam veritatis reduci sustineant, auditores minùs erunt eadem in re

difficiles.

3. Docentium in Ecclesia προσκείμενον est, de Lege rogatum νενεχῶς respondere. Iuxta illud: Labia Sacerdotum custodiunt scientiam, & Legem requirent ex ore eius: quia Legatus Iehouæ exercituum est.

Istud nobis quoque qui in Schola Theologica versamur, & interrogati fidei rationem reddere tenemur, dici statuamus: & nocturno diurnóque tum studio tum voto præclaram rerum diuinarum scientiam nobis comparemus.

Extat iocus Ciceronis in C. Popilium, qui Iurisperitus videri volebat, quum eius ignarus esset. Ei enim quum testis citatus in controuersia quadam responderet, Nihil se scire: Cicero respondit ἐρωνδῶν, Putas fortasse te de iure interrogari.

Multò verò maius dedecus est, Theologiæ candidatum, de rebus ad salutem pertinentibus interrogatum, nõ habere quod respondeat.

---

ctio 46. April.

De doctrina, qua docentes in Ecclesiis excellere necesse est, παρένβασις.

Hieronymus in Comment. super Epist. Pauli ad Titum, cap. 1. v. 9. exponens hæc verba: Vt potens sit consolari in doctrina sana

sana,& contradicentem arguere:Superiora inquit, quæ in Episcopi virtutibus posuit, ad vitam pertinent: hoc verò quod ait, Vt potens sit consolari in doctrina sana, & cõtradicentes arguere, referẽdum est ad sciẽtiam. Quia si Episcopi tantùm sit sancta vita,sibi potest prodesse sic viuens.Porrò,si & doctrina & sermone fuerit eruditus, potest se cæteróque instruere, & non solùm instruere & docere suos, sed & aduersarios repercutere: qui nisi refutati fuerint atque conuicti,facilè queunt simpliciũ corda peruertere.Hic locus aduersus eos facit qui inertiæ se & ocio & somno dantes, putant peccatum esse si Scripturas legerint: & eos qui in Lege Domini meditantur die ac nocte, quasi garrulos inutilésque contemnũt: non animaduertentes Apostolum post catalogum cõuersationis Episcopi,etiam doctrinam similiter præcepisse. 2 Notationes

1. Doctrinæ, qua instructos esse oportet Ecclesiarum pastores, multa sunt nomina in Scripturis. Interdum vocatur, λόγος τῆς γνώσεως,sermo cognitionis, quo doctorem excellere oportet: interdum nuncupatur λόγος σοφίας, qui pastori necessarius est, cui non tantùm docendi sunt homines, sed etiã alij quidem consolandi,alij verò reprehen-

dendi, alij exhortandi. 1. Cor. 12. v. 8.

In Scientiæ vocabulo ὁμωνυμία notãda est. Alia enim æquiuocè sic vocatur, vt illa quam ψευδώνυμον Paulus vocat, vtpote quæ constet τῇ ἑτεροδιδασκαλίᾳ, τοῖς κενοφωνίαις καὶ ἀντιθέσεσιν. 1. Tim. 6. 20. Talis est magna ex parte scholastica Theologia, in qua etiam fidei capita, extra iudicij humani aleã posita, more Academico in vtramque partem agitantur. Alia autem est vera scientia, quæ etiam σοφία, Sapientia interdum nuncupatur.

Augustinus de Trinitate disputãs, Hæc, ait, est sapientiæ & scientiæ recta distinctio, vt ad sapientiã pertineat æternarũ rerũ cognitio intellectualis: ad scientiã verò, temporalium rerum cognitio rationalis. Et Aristoteles ἠθικ. 6. Scientiam definiens, ait esse habitum demõstratiuum. Idem Metaph. 1. Sapientiam esse dicit cognitionem primarũ & altissimarum caussarum. Et Rhet. 1. Multarum & mirabilium rerum cognitionem. Sed sacræ Literæ plerumque promiscuè hæc vocabula sumũt, quum de mysterij salutis nostræ cognitione differunt. Ideò nos quoque illa non distinguemus.

2 Genus

Genus autem intelligentiæ istius est, κατὰ τὴν χάριτος τοῦ θεοῦ δωρεάν. Eph. 3. v. 7. Cuius factus sũ minister ex dono gratiæ Dei, quod

datum est mihi secũdum efficacitatem potentiæ ipsius. Paulò verò angustius est τῆς συνέσεως, intelligẽtiæ vocabulum, quo vsus est Apostolus eodem cap.v .4. Ex quo perlecto potestis intelligere, quæ sit mea intelligentia in mysterio Christi.

A fine differentia peti potest, vt in illo Zachariæ dicto: Et des cognitionem salutis populo eius. Luc.1.77. Item reportantes mercedem fidei vestræ, salutem animarum: de qua salute inquisierunt & quam scrutati sunt Prophetæ, qui venturam in vos gratiã quæsiuerunt.1.Pet.1.9.10. Est igitur doctrina hæc, intelligẽtia de salute nostra & eius caussis: de quibus postea dicendum erit. 3 Differentia

Inter cætera huius intelligentiæ propria hæc recensentur.1. Quod est agnitio veritatis, quæ est secundum pietatem. Tit. 1.1.2. Quòd Spiritualibus Spiritualia coniungit. 1.Cor.2.13. Non enim τὴν εἰλικρινείαν doctrinæ cælestis vllo fermento corrumpit. 4 Propriæ

Adiunctum huius intelligentiæ est, pia institutione alijs prælucere. Iuxta illud Christi: Vos estis lux mũdi. Matt. 5.14. Item, Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & Legem requirent ex ore eius: quia legatus Iehouæ exercituum est. Mal. 2.7. Iam verò, quum (vt quodam in loco Chrysostomus inquit) 5 Adiunctũ

inquit) Discipulis dicta, omnibus dicta sint: meminerimus nobis quoque in tempore & precibus à Deo impetrandum, & studio indefesso comparandum & suscitandum hoc Dei eximium donum, vt eo ad multorum ædificationem vti possimus. Ac toto pectore cohorrescamus, quũ in dicta de Pseudoprophetarum insciti incidimus. Isa. 28. 9. Quem docebit scientiam? & quem intelligere faciet quod audiuit? sunt vt ablactati. Id est, infantium instar sunt rudes & ignari rerum diuinarum. Item, speculatores eius cæci. vniuersi illi nihil norunt. cap. 56. 10.

Αἴτιον κύριον. Deus Pater per Spiritum sanctum intelligentiæ donum in fidelibus Ecclesiæ Pastoribus efficit, vt ex adductis quibusdam testimoniis, & hac Christi Domini nostri promissione liquet. Consolator autem ille, Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæ dixi vobis. Ioan. 14. 26.

7 *Materia.* Materia intelligentiæ istius est Christus Iesus, qui ei[9] respectu dicitur Sapiẽtia nobis factus. 1. Cor. 2. 30. Eo etiã nomine Apostol[9]

8 *Forma.* noster, Nõ decreuerã, inquit, quicquã scire inter vos, nisi Iesũ Christũ, eúmque crucifixum. 1. Cor. 2. 2.

Formam appellare possis cum Apostolo μόρφωσιν τῆς γνώσεως καὶ τῆς ἀληθείας ἐν τῷ νό-

μῳ, id est, informationem cognitionis & veritatis quæ est in Lege. Rom. 2. 20. Item, τύπον διδαχῆς, formam doctrinæ, Rom. 6. 17. Hac instructi possunt συμβιβάζειν, id est, collatis testimonijs & rationibus colligere, quòd Iesus sit Christus, vita, salus, resurrectio nostra. Vt de Paulo recens conuerso dicitur: Saulus autem magis inualescebat, & confundebat Iudæos qui habitabāt Damasci, collatis testimonijs demonstrans (συμβιβάζων) eum esse Christum. Act. 9. 22. 9 Fines.

Proximus finis est, vt seruiat institutioni, correctioni, consolationi & exhortationi eorum, qui sunt cohæredes, concorpores, cōsortésque promissionis eius in Christo, per Euangelium. Eph. 2. 6.

Vltimus autem finis est gloria Dei, iuxta illud eiusdem Apostoli, vt nota nunc fiat per Ecclesiā imperijs ac potestatibus, quę in cęlis sūt, multiformis illa sapiētia Dei Eph. 2. 10. Est itaque doctrina illa, qua Ecclesiæ pastores & doctores præcellere oportet, donū intelligentiæ veræ quæ est κατ' εὐσέβειαν de salute nostra, docendis hominibus fidelibus seruiens, quod Dei Spiritus, Christum retegens ad instaurationem nostram Deíque gloriam efficit.

Disce priùs, inquit Hieronymus, quàm doceas. Nam quæ quis nescit, docere nun-

quam poterit. Itaque grauissimè peccãt, qui nec diuinarum rerum scientia, nec vsu rerũ spiritualium instructi, docendi in Ecclesia munus sibi sumunt, & vt Bernardus loquitur, ad cathedram magis quàm ad curam promti, ventris caussa, magno Ecclesiæ malo, γλωσσογάστορας & psittacos agunt, & ab alijs præscriptas δημηγορίας sine iudicio ediscunt & recitant.

Lectio 47. 30. Maij. Reuertamur iã σὺν θεῷ ad institutũ. Illa n. superiora de Legis diuinæ peritia Sacerdotibus necessaria eò solùm faciũt, vt intelligamus, Hierophantas quorum conscientiam Propheta appellat, αὐτοκατακρίτους fuisse.

Versus 13.

Si tulerit quispiam carnes sanctificatas in ora vestimenti sui, & tetigerit ora sua panem, aut pulmẽtum, aut vinum aut oleum, siue quẽlibet cibum, nunquid sanctificabitur? Et responderunt Sacerdotes, dixeruntque, Non.

Docẽdi gratiâ tria hoc loco tractabimus, ἔλεγχον, σκόβλημα καὶ ἀπόρειαν.

1. Elencho Patres, Prophetæ, Christus ipse & Apostoli sæpenumero ad suo ipsorũ iudicio coarguendos & conuincendos homines vsi sunt.

Exempla

Exẽpla parabolica exstant, Iothami Gideonis F. Iud.9. de regio honore delato oleæ,ficui,viti,rhamno: Nathanis Prophetæ homicidij & adulterij Dauidem coarguentis:de Diuite & Paupere.2.Sam.12: Matronæ Thecoitidis de duobus suis filiis.2.Sam. 14: Christi Iesu, de duobus fratribus in vineam missis à Patre: de Vinea & Colonis: de Nuptiis filij Regis,Matt.21.& 22.

Exemplum παραβολικὸν hoc loco occurrit.Item, Matt.21.v.25.de Baptismo,seu doctrina Ioannis Baptistæ.Et sequenti cap. de Christo, Domino & Filio Dauidis.

Thesis. Prudentiæ spiritualis est, seu parabola,seu problemate,seu alio modo sic appellare alienam conscientiam, vt se conuictam esse,non dissimulet, Deóque gloriã dans veritati cedat.

2. Problema quod Haggæus Sacerdotibus proposuit, hoc sibi vult: Anne putatis vos, gentem sanctam hactenus ideo fuisse, quòd leui brachio ceremoniario cultu defũcti estis, neglecta Templi instauratione? Ego verò vos immundos fuisse,in hunc modum probo: Sicut se habent carnes in ala vestimenti repositæ, ad alios cibos per vestis contactum sanctificandos: ita se habuit vestra θρησκεία ἢ σωματικὴ γυμνασία ad vos

sanctificandos à contagione peccatorum. Sed in pãno inuolutæ carnes alia edulia nõ sanctificant. Ergo nec illa ἱερατικὰ & corporales exercitationes ad vos sanctificandos faciunt. Alij κατ' ἀντίφρασιν, vocabula Sanctum & Sanctificare accipiunt, sic vt Profanum & Profanare significent. Erit itaq; sententia: Carnes profanæ si panno inuoluantur, non polluunt alios cibos. Iudicent pij vtra explicatio magis sit consentanea. Spiritus enim Prophetarũ Prophetis subiiciuntur. 1. Cor. 14.

Thesis j. Sanctificatio, qua populus Dei segregatur à contagione & immundicia carnis & sanguinis, nequaquam ieiunis & infirmis mundi elementis accepta ferri debet.

ij. Omnia quidem pura puris: sed & pollutis & infidelibus nihil est purum, sed polluta est eorum mens & conscientia. Tit. 1. 15. Ex hoc dicto colligere licet, solos fideles puros esse: infideles autem omnes esse impuros.

iij. Cultus, quem homines profani Deo præstant, quum impurus sit, Deo nequaquã placere aut probari potest.

3. Ἀπόκρισις Sacerdotum ingenua negatione constat.

Thesis.

Thesis. In Confessione fidei,& responsionibus nostris de Religione, abesse debēt simulatio, dissimulatio, ἀπιστμός. Ingenuè enim nos profiteri decet ea,quæ Dominus pro sua bonitate,nobis patefecit. Et manifesta & execrabilis impietas est, falsò ignorantiam prætendere, ne quod res est fateri cogaris. Vt quum Iudæi dicerent, se nescire è cælóne esset Baptisma Ioannis, an verò ex hominibus. Matt. 21.27. Ne igitur quisquam se in eam simulationem abripi patiatur(exemplo eorum qui non recto pede in Euangelio Christi incedunt, & auctoritate aliqua pollent,commotus)vt veritatem se ignorare fingat, & spiritum in seipso extinguat. Id quod magno suo malo quosdam fecisse,& hac ætate facere,nimiū, proh dolor,notum est. *Latomus. Hoffmeisterus.*

Παρέμβασις De Theologicis colloquijs, Aphorismi.

1. Vult Deus religiosis de pietate colloquiis Dei donum nos ἀναζωπυρεῖν vt proficiamus.Iuxta dictum Pauli Col.3.16.Sermo Christi inhabitet in vobis copiosè cum omni sapientia: docendo & commonefaciēdo vos mutuò &c. Iam verò, si omnes fideles id facere oportet,quātò magis eos,quos Deus ad docendos alios segregat?

2. Huius autē Συμφιλολογίας auctor, ἐργοδιώκτης καὶ διαγωγὸς S. sanctus sit, necesse est. Nā colloquij religiosi finis est veritas, quā à nobis cognosci & illustrari oportet. Spiritus autem sanctus solus, in omnem veritatem nos ducit. Ioan. 16. 13.

3. Animalis homo ineptus est ad eiusmodi collationem. Voco ψυχικὸν ἄνθρωπον, eū qui carnis intelligentiam in omnibus sequitur, προσωπολημψίας καὶ κενοδοξίας fascino laborans: denique qui non sapit ea quæ sūt Dei, sed quæ sunt hominum. Matt. 16. 23. Ineptū esse ad religiosam διαζήτησιν, sic probo: Nemo potest de iis rectè disserere quæ neque assequitur, neque probat: Animalis autem homo non est capax eorum quæ sūt Spiritus Dei. sūt enim ei stultitia, nec potest cognoscere ea quæ spiritualiter diiudicantur. 1. Cor. 2. 14.

4. Spiritualis autem homo rectè καὶ ἀναλόγως de rebus diuinis pronuntiabit. Spiritualem voco eū, qui spiritu Dei ducitur, Christum Iesum vnicum magistrum agnoscit, & qui in omnibus fide prælucente, Dei gloriam sectatur. Aptus autem est ad collationem sacram, quia spiritualibus spiritualia coniungens, ἀνακρίνει πάντα. 1. Cor. 2. 13. 15.

5. Scri-

5. Scriptura sancta ἡ θεόπνευστος illi Cynosuræ & canonis certissimi instar est. Rō. 12. 6. Siue prophetiam, pro proportione fidei. 2. Pet. 1. 19. Habemus firmissimum sermonem propheticū: cui rectè facitis quòd attendatis &c.

6. Σύνεσιν probat Christi Iesu exemplo, tum ἐν τῇ ἐπερωτήσει, tum ἐν τῇ ἀποκρίσει.

Σύνεσιν, Intelligentiam voco, sermonem sapientiæ & cognitionis seu præclaram diuinorum mysteriorum cognitionem.

Ἐπερώτησις interrogatio, seruit inuestigationi & perpensioni rerum diuinarum. Vt enim non priùs est respondendum, quàm interrogans perspicuè sententiam exposuit: sic calculi non debent cognitionem præuertere.

Ἀπόκρισις rerum & sententiarum æstimationi & censurę inseruire debet, vt quid de eis nobis retexerit Dominus, ingenuè testemur.

Lectio 48. 31. Maij. 1580

7. Quum omnia nos explorare: & quod bonum fuerit retinere, Dominus præcipiat (1. Thess. 5. 21.) primùm συμβιβάζειν, deinde συμβάλλειν ἐν τῇ καρδίᾳ, oportet.

Non vult Deus nos credere cuiuis Spiritui, sed explorare Spiritus num sint ex

Deo. 1.Ioan.4.1. Itaque ne eos audiamus, qui audaciſſimè Theſim aliquam confingunt, (qualis hæc eſt: Chriſtus aſcendit, id eſt, diſparuit) & eam ſine Scripturæ auctoritate, ſine ratione nos credere iubent, negantes probationem requirendam.

Συμβιβάζειν eſt, ſingulas doctrinæ ſacræ partes inter ſe accuratè comparare, collatis teſtimoniis & rationibus. Nulla enim eius pars alteri repugnat: ſed egregiè ſibiinuicē conſentiunt omnes. Exempla. Qui in non renato homine αὐτεξούσιον ſtatuit, peccatū originis tollit: qui hoc vel negat vel extenuat, Chriſti meritis plurimum derogat. Ita qui in pane Cœnæ Domini corpus Chriſti corporaliter includit, contradicit Articulo Symboli: Aſcendit in cælum: qui certè hiſtoricè accipiendus nobis eſt: non allegoricè. Itē, qui ex operibus iuſtificari vult, nihil cum Chriſto commune habet.

Συμβάλλειν ἐν τῇ καρδίᾳ eſt, res probè conſideratas & cognitas, alta mente reponere, vt quum opus eſt, in promtu ſint, & vſibus noſtris ſeruiant. Vt de Maria virgine dicitur, Luc.2.19. Maria verò iſta omnia cō ſeruabat, conferens ea in corde ſuo.

8. Quum Scripturæ auctoritas obtenditur, videndum Scriptúmne, an verò Sententen-

tentiam nos sequi oporteat.

Dignæ sunt memoria illæ duæ Augustini regulæ, traditæ lib. 3. de Doctr. Christ. cap. 16. 1. Si præceptiua locutio est aut flagitium aut facinus vetãs, aut vtilitatem aut beneficentiam iubens, non est figurata. 2. Si. a. flagitiũ aut facinus videtur iubere, aut vtilitatẽ aut beneficẽtiã vetare, figurata est. Nisi manducaueritis, inquit, carnem filij hominis & sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis, facinus aut flagitium videtur iubere. Figura est ergo, præcipiens passioni Domini esse communicandum, & suauiter atque vtiliter recondendum in memoria, quòd pro nobis caro eius crucifixa & vulnerata sit. Hæc ille.

9. Delectus etiam instrumentorum Logicorum, Demonstrationis inquam & Elenchi, instituendus & obseruandus est.

De iis, quorum est indubitata veritas, nequaquam Scholasticorum Theologorum exemplo, Academicè in vtranque partem disputandum: ne hebetiores & simpliciores dubij reddantur. Sed demonstratiuè, τὰ ἀποδεικτικὰ tractanda sunt, vt & declarentur & demonstrentur. Falsa autem ἐλεγκτικῶς in lucem protrahenda, & coarguenda sunt, vt eorum vanitas retecta nemini im-

ponat.

10. Singularis prudentiæ fuerit τὸς ἀνθρώπους διακρίνειν, rectè dignoscere. Aliis enim veritas cordi est, aliis non item. In illorũ ordinem referendus nobis est Apollos ille Alexandrinus ἀνὴρ λόγιος ἦν δυνατὸς ἐν ταῖς γραφαῖς, quem Aquila & Priscilla pleniùs erudierunt in via Dei. Act. 18.24.25.26. In horum autem catalogo ij sunt, de quibus Apostolus noster inquit: Quemadmodum autẽ Iannes & Iambres restiterunt Mosi, ita hi resistunt veritati, homines mente corrupti, reprobi circa fidem. Sed non procedẽt amplius: nam amentia istorum manifesta erit omnibus, vt & illorũ fuit. 2. Tim. 3.8.9.

11. Vt dociles erudiẽdi sũt cũ omni mãsuetudine: sic refractariorũ ora obturãda sunt. 2. Tim. 2.24. Seruũ autẽ Domini non oportet pugnare, sed placidũ esse erga omnes, aptũ ad docendum, tolerantem malos, cum lenitate erudientem eos qui contrario animo sunt affecti &c. Tit. 1.9.10.11. Episcopus sit tenax fidelis illius sermonis qui ad doctrinam facit, vt possit etiam exhortari per doctrinam sanã, & contradicentes conuincere. Sunt enim multi refractarij & vanilo qui, & mentium deceptores, maximè ij qui sunt ex circunciſione: οὓς δεῖ ἐπιστομίζειν, &c.

12. Non nisi de iis quæ sanam doctrinam

decēt, disputādū. Iuxta illud Apostoli præceptum: Stultas autē & ineruditas quęstiones reiice, sciēs eas gignere pugnas. 2. Tim. 2. 23. Et, 1. Tim. 6. 20. 21. O Timothee, depositum serua, & auersare profanos de rebus inanibus clamores, & oppositiones falsò nominatæ scientiæ: quam nonnulli præ se ferentes, circa fidem aberrarunt à scopo.

13. Quum ex demonstratione de sententiæ alicuius veritate iam constat, non est amplius dubitandum. Vt qui è tempestuoso pelago in portum peruenerunt, metum ponunt: sic quibus affulsit veritatis amabile lumen, contrariam opinionem abiiciāt, & agnitam veritatem profiteantur. Iuxta dictum: Credidi, ideo & locutus sum, &c. Psal. 116. Plura non addam hoc tempore. Velim autem studiosos iuuenes sæpe & attentè legere aureum libellum Viri clarissimi D. Lamberti Danæi, de sophisticis Hęreticorum elenchis, & illius præcepta de ratione soluendi argumenta vitiosa diligēter ad vsum transferre, corrogatis vndiquaque exemplis, quorum incredibilis copia occurrit in libris Caluini, Lutheri, Martyris, Buceri & aliorum.

Versus 14.

Sic dixit Haggai, Si tetigerit immundus ob

cadauer humanum aliquid eorum, eritne immundus? Et responderunt Sacerdotes, dixerúntque: Immundus erit.

Hieronymus sic interpretatus est hunc locum: Rursum alia quæstio proponitur Sacerdotibus: quòd scilicet bene responderint ad superiorẽ, & quasi similitudo Problematis coaptatur, in qua imperitus facilè labi potuit. Da enim aliquem nescire Legem, & sicut respondit de sanctificata carne, non sanctificari carnem, aut pulmentũ, aut vinum, aut oleum, aut omnem cibum: & in hoc æquè respõdebit & dicet: Pollutũ in anima non contaminare ea quæ sancta caro sanctificare non potuit. Interrogat igitur & dicit: Si tetigerit is qui pollutus in anima est: hoc est, qui contagione mortui est immundus effectus, ex his omnibus, panem videlicet aut pulmentum, aut vinũ, aut oleum, aut reliquos cibos, nunquid ex contactu eorum hæc quæ tetigerit polluentur? Et responderunt Sacerdotes, quorum Princeps erat Iesus filius Iosedech: vnde & legem nouerant, & dixerunt: Contactu eius qui immundus est, omnia quæ ab eo contacta sunt pollui. Hactenus ille.

Problema est, Anne ea immunda fiunt, quæ homo legaliter immundus contingit.

Respon-

Responsio. Immunda fiunt. Nam vt mundis omnia munda sunt, ita pollutis & infidelibus nihil est purum, sed polluta est eorũ & mens & conscientia. Tit. 1. 15. Quod autem de cibo potúque quo fideles cum gratiarum actione vtũtur, Apostolus dicit: ἁγιάζεται διὰ λόγου Θεοῦ καὶ ἐντεύξεως. 1. Tim. 4. 5. id quoque de eorundem tota vita & fũctionibus in quibus Dei consilio seruiunt, intelligatur.

Porrò, obseruent hoc loco studiosi, impuritatis distinctionem. Alia enim ceremonialis erat, & communis esse poterat veris Israelitis & hypocritis. Verbi gratia si quis morienti adfuisset, gonorrhœa laborasset, fluxu menstruo laborantem, morticinum, aut aliam aliquam rem immundam attigisset, immundus erat legaliter. Alia autẽ erat & est immundicies Carnis & Spiritus quæ à peccato originis ortum ducit, & cum incredulitate coniuncta est.

Versus 15. Lectio 49.

Cæpit itaque Haggai dicere, Sic populus iste, & sic gens ista est coram me, dixit Iehouah, atque sic omne opus manuum eorum: & quicquid offerunt illic immundum est.

Problemata superiora suo instituto ac-

commodat Propheta, ac conuincit Iudæos impuritatis, quum tamẽ sibi viderentur gẽs sancta & peculium Dei, cuius omnia dicta & facta, imprimis verò sacra liturgia, Deo probaretur. Ista .a. δεῖ ὑπο τίθεσθαι hoc loco.

1. Cultum quem immũdi homines præstant, Deo non probari.

2. Deus enim sãctus & purus est, nec nisi à sanctis coli vult.

3. Immundos esse profanos, de quibus etiam Ethnici sacra sua peragentes, dicebãt: Procul este profani.

4. Atque ideo emendatione & consacratione nobis opus esse, vt Deũ ritè colamus.

5. Externo cultu etiam immundos & infideles defungi.

6. Solos autem fideles τὴν λογικὴν λατρείαν pręstare.

Docendi autem gratia tria in hoc 15. versu tractabimus, Propositionem, Amplificationẽ & Cõfirmationẽ, quæ inductione constat.

1. Propositio.

Iudæi immundi sunt. Hæc oratio non minùs παράδοξος olim Iudæis, qui γράμματι, ὀ πνεύματι Deum colebant, quàm nunc foret hæc enuntiatio, Multi inter Christianos impuri sunt, vt maximè conciones sacras

cras audiant & Sacramentis crebrò vtãtur.

De immunditie autem teneantur hi Aphorismi, quos distinguere oportet secundum quæstiones methodi, An sit, Quid sit, Quare sit & quod sit.

1. Omnes homines sunt immundi, Pro. 20. 6. Quis potest dicere: Mũdaui cor meũ, mundatus sum à peccato meo?

2. Est autè μολυσμὸς σαρκὸς καὶ πνεύματος id est, Corporis & Animæ inquinamentum 2. Cor. 7. 1. Hinc liquet totum hominem pollutum esse, nõ alteram solùm eius partem.

3. Ortum autem ducit à carne, non à Spiritu. Ideo Paulus, inter opera carnis recẽset ἀκαθαρσίαν. Gal. 5. 19.

4. Aliter tamẽ tribuitur filijs Dei, aliter infidelibus. Illi enim κατά τι immundi sunt, primùm quia peccato originis sunt infecti, deinde, quatenus non sunt plenè regeniti, postremò, quia præoccupatis aliquo delicto cum Dauide precandum est, Cor mundũ crea in me Deus, Psal. 51. Hi autem, quia fide (qua corda purificantur) sunt expertes, immundi ἁπλῶς sunt & dicuntur.

Iam & mundiciei principia paucis attingamus. Eius ἄϊπον κύριον est Iesus Christus. Hebr. 2. 11. Nam & qui sanctificat, & qui sã-

ctificantur, ex vno sunt omnes. Σύνεργοι, sũt renati. Isa. 1. Lauamini, mundi estote. Sacramentum Baptismus est, Eph. 5. 26. Vt sanctificaret eam, purgans lauacro aquæ per verbum. Subiectum primarium, Cor. Psal. 51. Cor mundum crea in me Deus. Forma, absterſio sordium & sanctificationis iugis actus. Finis proximus, vt sit Ecclesia gloriosa, non habens maculas aut rugas, Eph. 5. 27. Vltimus, videre Deum, Matt. 5. 8. Beati mũdo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Hæc de Propositione, qua affirmatur Iudæos impuros esse, dixisse satis sit.

2. *Amplificatio.*

Hæc occurrit in verbis: Coram me, dixit Iehouah. quasi dicat, Etsi videmini vobis mũdi coram Domino Deo nostro, is tamẽ diserte testatur, vos impuros esse. Aliud est de mundis & mũditie Dei iudicium, aliud hominum. Horum opinione sæpius pro immundis habentur, qui corã Deo mundi sunt & econtrà. Deus autem corda intuens, quid de vnoquoque statuendum sit, optimè nouit.

Sæpenumero etiam fit vt sibiipsi imponat homo. Iuxta illud Salomonis. Est generatio, quæ mũda est in oculis suis, & à sorde sua non est abluta. Pro. 30. 12.

Obie-

Obiectio. Euentus respondent consiliis & iudiciis Dei. Sed idem euentus est mũdi & immundi, iuxta illud Salomonis: Omnia (eueniunt) consimiliter omnibus: euẽtus vnus est iusto & impio, bono & mundo & immundo, sacrificanti quoque & ei qui non sacrificat: sicut bonus, sic qui peccat, &c. Eccles. 9.2. Ergo non diiudicat Deus puros & impuros.

Respondeo ad Minorem in qua est fallacia, à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Quidem euentus prosperi aut aduersi communes sunt fidelibus & infidelibus: sed non omnes. Sæpenumero vtrique aduersis sunt obnoxij: interdum vtrique rebus secundis aliquandiu vtuntur. Sed vt etiam res secundæ infidelibus in malum cedunt: ita etiam aduersa fidelibus prosunt. Rom. 8.28. Hi posteriores euentus nequaquam communes sunt puris & infidelibus.

---

3. Inductio.

Inductio, qua Propheta noster propositionem confirmat, ita habet: Tota gens Iudaica immunda est. Omnia opera manuum eiusdem populi immũda sunt. Oblationes quas Deo Iudæi obtulerunt, impuræ sunt. Nec quicquam dissimile opponi po- *Lectio 50.*

test. Stat itaque enuntiatio: Iudæos impuros esse.

In hac Epagoge obseruabimus hæc 5. capita.

1. Ordinem rerum. Initium facit à Gente Iudaica, tanquam à vite labrusca proferente, non botros. Isa. 5. Deinde progreditur ad opera manuum, id est, ad occupationes familiares & ciuiles, quæ huic animali vitæ tuendæ propriè seruiunt. Postremò, ad supremum gradum actionum, qui τὰς ἱερατικὰς λειτουργείας complectitur, ascendit, ac testatur omnium istorum ratione Iudæos impuros esse, eóque iræ Dei obnoxios.

2. Gentis & populi nominibus, summos & infimos & mediæ conditionis homines designauisse Prophetam. Isaias Propheta, cap. 1. v. 5. & 6, ἀλληγορίᾳ vsus, omnium ordinũ homines accusauit, his verbis: Omne caput dispositum est ad infirmitatem, & omne cor infirmum: à planta pedis vsque ad verticem non est in eo perfectio: sed vulnus & liuor & plaga recens.

Videtis quàm se integros & incorruptos Prophetæ præstiterint, si quando peccata ab omnium ordinum hominibus admissa accusanda fuerunt. Eorum vestigiis nos

nos quoque insistere, & sine fuco, sine respectu personarũ, peccantes arguere decet.

3. Opera manuum nisi precibus & verbo Dei sanctificẽtur, immunda esse, nec Deo placere. Ideo precatus est Moses Psal. 90. Decor Domini Dei nostri sit super nos, & opus manuũ nostrarũ dirige super nos, op⁹ inquam manuũ nostrarũ dirige. Agnoscit fides & profitetur omnem laborem inanẽ esse, nisi Domino benedicente: secundum illud Psal 127.1. Si Iehouah non ædificet domum, frustra laborant ædificantes eam: si Iehouah non custodiat ciuitatem, frustra vigilat custos. 2. Frustra vobis est maturantibus surgere, tardantibus sedere, edentibus panem dolorum: sic dabit dilecto suo somnum &c.

4. Συνεκδοχὴν esse in vocabulo oblationũ. Complectitur enim vno quasi fasce omnes Ecclesiasticas actiones, Sacrificia, Sacramẽta, dies festos, ieiunium &c. Hæ autem actiones immũdæ dicuntur, nõ Dei, qui eas præceperat, nec formæ: sed hominum, qui non per fidem eis defungebantur, & in opere operato acquiescebant, respectu.

5. Oraculi scopum & vsum. Memineri-mus nobis hæc à Propheta dici, vt primùm quidem in nos ipsos descendentes, mala

quibus laboramus, agnoscamus & deploremus ex animo: deinde consilia, studia, occupationes nostras ad calculos diligenter reuocemus: nec nobis placeamus vbi τὰ ἐπίγεια potius, quàm τὰ ἄνω nos quæsisse animaduerterimus: postremò, quem Deo cultum hactenus & qua conscientia præstiterimus, expēdamus, nobisque ex animo displiceamus, si ore Deo nos appropinquasse, corde autem ab eodem recessisse, animaduerterimus.

De Theologico studio, Θεοσεβείᾳ.

1. Summo studio à Deo petendum, & pro nostra virili parte enitendum, vt studia nostra sacra sint, non profana & impura. Versamur enim in schola Christi, in qua sanctimoniæ studiosissimos mystas esse oportet.

2. Munda autem erunt & Deo sacra, si Deus nos totos sic sanctificauerit, vt integer sit noster Spiritus & anima & corpus. Meminerimus nos templa esse sancti Spiritus, quæ inquinamentis carnis & Spiritus pollui non deceat.

3. Opera autem manuum nostrarum mūda esse decet. Tenere enim oportet mysterium fidei cum pura conscientia. 1. Tim. 3. 9. Sint igitur castæ cogitationes nostræ, casti

sti sermones, casta & pura opera: vt aliis laudabile integritatis & sanctimoniæ exemplar simus: studiosi sacrarum literarum nō θεοφόροι, sed ἀληθείᾳ τῇ ἔργῳ.

4. Idem iudicium est & de oblationibus eorundem, hoc est, de precibus, de gratiarū actione, de patientia in ærumnis, déque omnibus actionibus sacris, quibus fidem & agnitionem Mediatoris Iesu Christi prælucere necesse est, vt sint Deo gratæ & nobis vtiles.

5. Auctor studij nostri Deus est, de quo sæpissime in Lege dicitur: Sancti estote, sicut & Iehouah Deus vester sanctus est.

6. Materia autem Christus Iesus est, qui nobis factus est non tantùm sapientia, sed etiam sanctificatio. 1. Cor. 1.

7. Forma studij Theologici, non solùm in theoria, sed etiam in praxi, hoc est, perpetuo & non simulato veræ pietatis exercitio elucet.

8. Fines autem eius sunt non quæstus & ea quæ πρὸς τὰ ἄλφιτα faciunt, (in Christi enim militia non sunt quærenda seculi lucra: vt ait Hieron.) sed Dei gloria, & nostra ac totius Ecclesiæ ædificatio.

9. Precibus, gratiarum actione, & Bibliorum sacrorum lectione assidua, studia no-

ſtra ſanctificari, ne dubitemus.

Panormitanus auctor eſt, Alphonſum Regem Aragoniæ, gloriari ſolitum, à ſe decies & quater ſacra Biblia vnà cum Gloſſa perlecta eſſe. Attendamus igitur ipſi quoque lectioni & meditationi ſacrę Scripturę in qua de Deo optimo & maximo agitur. Rectè enim Plato dixit, omnem ſcientiam magis obeſſe, quàm prodeſſe, ſine cognitione optimi.

10. Ea quæ legimus in Scripturis, ad vsũ noſtrum transferamus, vt inſtitutioni, cõſolationi, correctioni & correptioni noſtræ ſeruiant. Finis enim ſtudij noſtri eſt nõ contemplatio ſolùm, ſed etiam actio. Ac vult Deus nos non auditores ſolùm, ſed etiam factores Legis ſuæ agere. Dominus Ieſus det, vt quotidie proficiamus, nobiſque ipſis meliores fiamus, proferentes fructus ſancta profeſſione dignos, ad diuini nominis ſanctificationem & animarum noſtrarum ſalutem, Amen.

Lectio 51. Iunij. 13. 1580.

Verſus 16.

Nunc itaque ponite quæſo cor veſtrum à die hac & ſuprà, antequam ponerent operarij *lapidem ſuper lapidem in templo Iehouæ.*

Phraſis, Ponere cor à die hac & ſuprà, ſigni-

ſignificat anteactam vitam ad calculos reuocare, & quid ſecundum legem, quidue contra eius præſcriptum ſit factum, quærere & diiudicare. Similis loquendi formula occurrit Pſ. 4. 4, Loquimini in corde veſtro, id eſt, expendite apud vos iſta. Hortatur autem Propheta noſter Iudæos, vt quales hactenus fuerint, quomodo ſeſe geſſerint, etiam atque etiam perpendant: nec ſibi ipſis imponant, φιλαυτία excæcati & faſcinati. Nam, vt inquit Paulus Apoſtolus, ſi quis ſibi videtur aliquid, quum nihil ſit, hũc ſuus ipſius animus fallit: ſeu vt Græca verba habent: ἑαυτὸν φρεναπατᾷ. Gal. 6. 3. Nos omiſſa ὑποθέσει ad Theſin progrediemur.

De Cenſura Sanctorum.

1. Sanctis, in huius vitæ ſtadio verſantibus, cenſuram in ſeipſos exercendam, extra controuerſiam eſt. Stat enim illud: Si noſipſos diiudicaremus, non puniremur. Sed quum punimur, à Domino erudimur, ne cum mundo condememur. 1. Cor. 11. 31. 32. Exemplum Pauli ſeipſum ſeuerè diiudicãtis extat Rom. 7.

2. Sed vt ea non deerret, canones fidei, ſpei & charitatis, diuinitus nobis præſcriptos ſequi oportet. Dei enim iudicio nos ſtare & cadere æquum eſt.

3. De exploratione fidei nostræ dicitur: Vosipsos tentate ánnon sitis in fide, vos ipsos probate: ánnon agnoscitis vosmetipsos, videlicet Iesum Christum in vobis esse? nisi reprobi estis. 2. Cor. 13. 5.

4. De dictis autem & factis, totáque vita illud intelligi debet, quod idem Apostolus docuit. 1. Cor. 11. 31. Si nos ipsos diiudicaremus, non puniremur.

5. Quid autem de impiis florentibus statuendum sit religioso æstimatori, docet Psaltes his verbis: Donec ingrederer sanctuaria Dei, & intelligerem nouissimum eorum. Profectò in locis lubricis posuisti eos, corruere facis eos in desolationes. Quomodo fuerunt in desolationem, quàm citò &c? Psal. 73. 17. 18. 19.

6. Subitæ autem mutationis, & sanctorũ casus ex alto dignitatis fastigio tum censuram, tum αὐτοφάρμακον petere licebit è Psal. 77. 6. 7. Supputaui dies à principio & annos seculorum. Recordabar cantici mei, noctu corde meo meditabar, & scrutabatur spiritus meus. Nunquid in secula repelet me Iehouah, nec addet vt bene velit adhuc? Et versu 10. Et dixi, Cædes mea hæc: sed mutationes sunt dexteræ Excelsi. 11. Et recordatus sum operum Dei: certè recordatus

datus ſum ab initio mirabilium tuorum: 12. Et ſum meditatus in cunctis operibus tuis, & in factis tuis commentatus. In hũc ſanè modum agere præſtat, quàm cum Demetrio fortunam alloqui verſu illo vetere: Σὺ μ' ἔφυσας, σὺ ϗ καταθεῖν δοκεῖς.

7. Docet autem iſthæc cenſura, Bonum nobis eſſe quòd nos humiliat Dominus, vt diſcamus iuſtificationes eius: Pſal. 119. Τὰ παθήματα nobis fiũt μαθήματα, vt ille apud Herodotum dicebat. Finem faciam, ſi illud priùs monuero, etiam Pythagoram ſuis auctorem fuiſſe, vt in ſeipſos deſcendentes, δοκιμασίαν inſtituerent, iuxta verſum:

Πῇ παρέβην; τίδ' ἔρεξα; τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη;

Triuariam enim peccatur. Primùm quidem quum ſecus agitur quàm oportet, vt quum Eli filios grauiſſimè multíſque modis peccantes leniter & perfunctori è reprehendit: deinde quum fit quod omiſſum oportuit, vt quum Ahas Rex Iudæ non contentus Dei patrocinio confugit ad Regis Aſſyriorum συμμαχίαν: poſtremo quum omittimus id quod oportuit factum. Vt ſi S. Theologiæ candidatus non adhibeat eã quam par eſt diligentiam in ſtudiis religioſis.

Versus 17.

Antequam essent in eo opere, *veniebat* agricola *ad aceruum viginti* modiorum, *& erat decem* modiorum: *veniebat quoque* vinitor *ad torcular*, *vt hauriret quinquaginta* cados vini *è torculari*, *& erant viginti.*

Hoc loco occurrit exemplum diuinæ maledictionis de qua dicitur, Deut. 28.20. Mittet in te Dominus maledictionem, contritionem & perditionem, in omni quod tractaueris & feceris, donec delearis, & pereas velociter, propter malitiam operum tuorum, per quæ dereliquisti me. Hoc loco ἀποτάξεως oportet.

1. Quum benedictio circa τὰ βιωτικὰ populo Israelitico instar arrhabonis rerum spiritualium fuerit: maledictio circa eadē, inopiæ bonorum spiritualium non obscurum argumentum erat.

2. Speciem itaque vnam pro genere positam, & eandem Ecclesiæ & Reipub. quæ Oeconomiarum & Agriculturæ, rationem fuisse, statuamus.

3. Inter cæteras autem maledictionis species, hæ recenseri debent: Spes studiorum & occupationum frustrata. Iac. 4.2. Concupiscitis, & non habetis: inuidetis & studiosè

diosè affectatis, nec potestis assequi: pugnatis & bellatis, non tamen obtinetis: propterea quòd non petitis. Preces inanes: vt idē Apostolus sequenti versu monet: Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis, vt in voluptates vestras insumatis. v. 3. Labor inanis. Psal. 127. 2. Frustra vobis est maturantibus surgere, tardantibus sedere, edentibus panem dolorum: sic dabit dilecto suo somnum.

4. Verùm enim verò id quod de maledictione circa messem & vindemiam dicitur, rectè ad alia quoque referri potest, vt ad studium Theologicum & ad verbi Dei ministerium. Multis iusto iudicio maledicit Dominus, vt quum veritatem non diligant, semper discentes nunquam tamen ad veritatis agnitionem perueniant. Anteferunt enim hominum opiniones manifesto Dei verbo: & hæresi addicti, cæci & surdi fiunt, sic vt nec videant, nec audiant, quæ tamen alij facilè vident & audiunt, καὶ λοιδοροῦσι προσέτι: vt Galenus verè monet. Idem iudicium est & de quorundam ministerio, & inani labore, quo nemini prosunt. Quum enim seipsos & gloriam huius mundi quærant, tumultuantur, &c.

Lectio 53. 17. Iunij. 1580.

Versus 18.

Percussi vos ariditate & robigine, & grandine, omne opus manuum vestrarum, & non vos ad me conuertebatis *dixit Iehouah.*

Hic versiculus non solùm ἀπολογίαν habet, sed etiam querelam de Iudæorum peruicacia, quam declararunt, quum ne quidem malis suis moti meliores facti sunt. Paulus σκληρότητα καὶ ἀμετανόητον καρδίαν vocat. Rom. 2. 5. Nos primò tractabimus τὴν ἀπολογίαν: deinde nobilem quæstionem: Anne aduersa meliores homines efficiant, nec ne.

Αἰτιολογία.

Hæc μετεωρολογίαν complectitur, in qua tempestatum aduersarum caussa & species considerari debent.

1. Αἴτιον κύριον eiusmodi tempestatum est Deus: qui aliàs bona aeris cælique temperie benedicit: aliàs, excitata horribili tempestate, fruges depopulando, & terram vel exsiccando, vel nimium humectando, nobis maledicit. Matt. 5. 45. Pater cælestis facit vt Sol suus exoriatur super malos & bonos, & pluit super iustos & iniustos. Act. 14. 17. Deus non passus est se esse expertem testimonij, benefaciendo, dans nobis cælitus pluuias

pluuias ac tempora frugifera, implens cibo & lætitia corda noſtra. De horrendis autē aeris cælique conturbati tempeſtatibus dicitur, Pſal. 29. 3, Vox Iehouæ ſuper aquas, Deus gloriæ tonare facit &c.

Ne igitur eos audiamus, qui Dæmones & eorum mancipia Magos & Lamias pro ſua libidine tēpeſtates ciere poſſe opinantur. Illud potius ſtatuamus, Cacodæmones, qui in aere verſantur & aquis, ex ſignis & cauſſis imminētes tēpeſtates præuidere, & ſtrigibus ſuggerere vt diabolicas ſuas præſtigias exerceant, eo quo oritur tempeſtas momento temporis.

2. Species horridæ tempeſtatis, grando. Eſt autem χάλαζα grando (vt Plinius lib. 2. Hiſt. Naturalis, cap. 60. memoriæ prodidit) conglaciatus imber, qui interdiu ſæpius quàm noctu cadit, & multò celeriùs reſoluitur quàm niues. Falſum autem eſt, quod apud Ciceronem legitur in 3. de Nat. Deorū: At enim minora Dij negligūt, neq; agellos ſingulorum, nec viticulas perſequūtur: nec ſi vredo aut grando quippiam nocuit, id Ioui animaduertēdum fuit: neque in regnis reges omnia minima curant. Nam & hoc loco & alijs plurimis ſacræ Scripturæ locis diſertè dicitur, Deus tempeſtates pro

suo arbitratu cõmouere & moderari. Psal. 78.v.47.48.Perdidit grandine vites eorum, (Ægyptios intelligit)& sycomoros eorum maiuscula grandine. Et tradidit grandini iumenta eorum,& possessiones eorum carbonibus ignitis.

Ariditatem Latini,vredinem, Græci ἐρυσίβην vocant, qua herbæ,arbores,vites cortũpuntur.Plinius hist.Nat.lib.18.cap.28. in hunc modum de tempestatum speciebus scribit: Ante omnia autem duo genera cælestis iniuriæ meminisse debemus. Vnum quod tempestates vocamus, in quibus grãdines,procellæ,cæteraque similia intelligũtur:quæ quum acciderint,vis maior appellatur.Hæc ab horridis sideribus exeũt: vt sæpius diximus, veluti Arcturo,Orione, Hœdis. Alia sunt illa, quæ silente cælo, serenisque noctibus fiunt,nullo sentiente nisi quũ facta sunt.Publica hæc & magnæ differẽtiæ à prioribus,alijs rubiginem,alijs vredinem, alijs carbunculum appellantibus:omnibus verò sterilitatem.

Ruellius lib. 2. de Natura stirpium. cap. 151. num.40.Plærique dixere rorem inustũ sole acri frugibus rubiginis esse caussam, & carbũculi vitibus,quod ex parte falsum esse Plinius arbitratur, omnémque vredinẽ frigore

gore tantùm, innoxio constare sole. Id manifestum fiet attendentibus. nam primùm omnium hoc non euenire nisi noctibus, & ante solis ardorem, deprehenditur: totúmque lunari ratione constat, quoniam talis iniuria non fit nisi interlunio, plenáue luna, hoc est, præualente &c.

Robigo, & Deam ficticiam, cuius festum Robigalia dicebatur: & segetum morbum, significat. Si quis de tribus Romanorum festis, quæ dicebantur Robigalia, Floralia & Vinalia, aliquid legere volet, consulat inter cæteros Plinium Historiæ Naturalis lib. 18. cap. 29.

Quæstio: *Anne aduersi casus homines reddant meliores, an verò non?*

Respondeo, primùm per distinctionem hominum, quorum alij Deum diligunt, alij non item. Iis qui Deum diligunt, omnia simul cõferunt ad bonum. Rom. 8. 24. Itaque etiam τὰ παθήματα ipsis sunt μαθήματα. Intelligunt enim se ideo iudicari à Domino, ne cum mundo damnentur. 1. Cor. 11. 37. Deinde, per distinctionem afflictionum, quarum aliæ sunt πμωρίαι, aliæ δοκιμασίαι. Pij vtroque modo castigati, meliores fiunt. Infideles quũ à Domino puniuntur, irascũtur & tumultuantur, ac Dei iudicia impro-

bant. Tertiò, ij solùm sub Domini ferula proficiunt, quibus dat Deus pœnitẽtiæ donum. Sed, vt exemplo magnæ partis Israelitarum Moses probat, nequaquam omnibus dat Deus cor ad intelligendum, oculos ad videndum, aures ad audiendum. Deut. 29. 4. Postremò, idem exemplo populi Iudaici probat Iesaias, cap. 9. 13. Et populus nõ est reuersus ad percutiẽtem se: & Iehouam exercituum non requisierunt.

Ergo excusandi sunt οἱ ἀμετανόητοι, *quum dono pœnitentiæ carendum ipsis sit.*

Nego sequi: quia est paralogismus secũdum non caussam vt caussam. Impœnitentiæ enim proxima caussa est incredulitas, quæ homini animali σύμφυτος est. Et rectè Oecolampadius: Vbi, ait, defectus est fidei, ibi & impœnitentia & bonorum operũ penuria. Coronidis vice addam aliquot præclara Patrum dicta quæ huc non nihil faciunt. Augustinus de blasphemia in Spiritum Sanctum differens, concludit: Hæc ergo impœnitentia (Sic enim vno aliquo nomine possumus vtcunque appellare & blasphemiam & verbum in Spiritum sãctum) remissionem non habet in æternum. Inde colligimus, aliam quidem impœnitentiam esse irremissibilẽ, aliam verò remissibilem.

Ratio

Ratio autem diuersitatis ducitur à scientia & ignorantia eorum qui peccant.

Idem Sermone 97. de Tempore. Dum, ait, malis modus imponitur, frangitur licẽtia peccatorum. Frequenter enim plagis disciplina corrigitur, si nihil proficiant hortamenta iustorum. A damnabilibus factis homines vindicta compescit, quos in bonis operibus beneficia Dei retinere nõ possũt.

Cyprianus. Sicut bonus Dominus mali serui ministerio bonam facit eleemosynam: & ita & per alium, licèt impœnitentem, misericors Dominus alium vult reuocare ad pœnitentiam. Hoc de fructu, ex aliorum impœnitentia percipiendo, verissimè dixit beatus ille Martyr.

Chrysostomus, pœnitẽtiam dilatam impœnitẽtiam tandem gignere, μεταφορικῶς, testatur. 1. Thess. 5. homil. 9. Si, ait, flammam incensam contemnere perrexerimus, pyram contra nos ipsos construimus, quã exstinguere non possumus. nam & in malitia fit, &c.

Lectio 54. 27. Iunij. 1580.

Versus. 19. 20.

Ponite nunc cor vestrum à die ista & suprà, à die, inquam, 24. mensis noni, hoc est, à die qua fundatum est Templum, ponite cor vestrum.

Num adhuc est semen in horreo ipso? præterea nondum vitis, & ficus & malogranatum, & arbor oleæ protulit fructum: à die hac benedicam.

Ὑπόθεσις. Inde vsque ab eo tẽpore, quo negocijs terrenis posthabitis, fundamenta Templi posuistis, benedixit vobis Dominus &c.

Theses hoc loco annotandæ.

1. Quemadmodum nimium studium τῶν ἐπιγείων subsequitur maledictio: ita rerum cælestium desiderium comitatur diuina benedictio.

2. Deus enim vt se contemnentes iure aspernatur, sic etiam sui amantes nunquam destituit.

3. Vult autem pietati ad omnia vtili promissiones huius & æternæ vitæ respondere 1. Tim. 4. 8.

4. Hoc vsque adeo certum est, vt etiam tempori conuersionis, respondeat tempus benedictionis: vt hoc loco Haggæus docet.

5. Porrò causarum secundarum inopia τὴν ἀδυναμία non remoratur primæ causæ beneficentiam, & virtutem &c.

De Benedictione diuina

1. Notatio. Benedictio diuina, Hebraicè ברכה, Græcè εὐλογία, hoc loco significat, benefi-

beneficiorum Dei largam dispensationem, qua quicunque fruũtur, εὐλογημένοι τοῦ πατρός, benedicti Patris vocãtur. Matt. 25. 34.

2. An sit. Deum beneficia sua cumulatissimè in nos conferendo nobis benedicere colligimus, primùm ex benedictione Abrahæ & semini illius promissa: deinde ex vniuersali omnium sanctorum experientia. Iuxta hæc dicta: Fáciam te in gentem magnam, & benedicam tibi, ac magnificabo nomen tuum, & eris benedictio. Gen. 12. 2. Item, Itaque qui ex fide sunt, benedicuntur cum fideli illo Abraham. Gal. 3. 9. Reipsa autem experimur, quoties in nos ipsos descendimus, Deum nobis quoque benedicere, & quidem multis modis, vt sequentia testabuntur.

3. Quid sit. Certum est Deum benefaciendo benedicere. Benefacit autem, quum crescendi facultatem dat, & omni genere τῶν χαρισμάτων, beneficiorum cumulatissimè nos ornat & instruit. Dicimus itaque benedictionem diuinam, esse communicationem donorum Dei, quæ & gloriæ Dei & nostræ saluti seruiat: seu, esse efficacem bonorum tum animali huic vitæ, tum spirituali seruientium dispensationem.

4. Quotuplex ea sit. Sicut spiritus oppo-

nitur corpori: ita benedictio spiritualis corporali & opponitur & præfertur. Paulus has species annotasse videtur, Eph. 1.3. Benedixit nobis omni benedictione spirituali in cælis in Christo. Idem de terrena benedictione συνοπτικῶς pronuntiat, Act. 17. 28. Per ipsum viuimus & mouemur & sumus. Ad spiritualem benedictionem referri debent Electio & adoptio nostra, vocatio & iustificatio, sanctificatio & omnia spiritualia χαρίσματα. Sed ad corporalem benedictionem, omnia vitæ huius animalis præsidia, quæ τὰ βιωτικὰ vocamus, referri debent.

5. Τὸ διότι. Vtriusque benedictionis causa efficiens princeps est Deus, à quo omne donum bonum & perfectum proficiscitur. Iac. 1.17. Si materiam in qua, seu benedictos spectes, non eadem omnium hominũ sors est. Filiis huius seculi sæpissime benedictio terrena confertur: (Luc. 16.25 Τέκνον, μνήσθητι ὅτι ἀπέλαβες σὺ τὰ ἀγαθά σου ἐν τῇ ζωῇ σου, καὶ λάζαρος ὁμοίως τὰ κακά) spiritualis verò nunquam, nisi quorundam donorum temporarium gustum: vt testantur exempla Saulis & Iudæ. Filiis Dei spiritualis benedictio nunquam deest, terrena non semper conceditur.

Si

Si materiam circa quam, seu obiecta benedictionis spectes, interdum concurrunt spiritualis & temporalis benedictio, vt testantur exempla Abrahæ, Isaaci, Iacobi, Danielis, Iobi, & aliorum quibus omni benedictionis tam spiritualis quàm terrenæ genere, Dominus benedixit: interdum spirituali solùm benedictione sanctos contētos esse oportet, vt de se & aliis quibusdam ait Paulus: Ad hoc vsque tempus & esurimus & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & incertis sedibus erramus, &c. 1. Cor. 4. 11. Destinata proxima sunt, vt simus sancti & inculpati: vltimum, laus gloriosæ Dei gratiæ. Eph. 1. 4. & 6.

6. Effectus. De terrena benedictione dicitur: Benedictio Iehouæ ditat, nec apponit dolorem ei. Pro. 10. 22. Generatio rectorum benedicetur. Opes & diuitiæ in domo eius. Psal. 112. 2. 3. At de cælesti εὐλογίᾳ, ait Paulus: Scio verò me, quum veniam ad vos, cum plena benedictione Euangelij Christi venturum. Rom. 15. 29. Item, Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nobis omni benedictione Spirituali, in cælis, in Christo, &c. Eph. 1. 3.

7. Adiacentia benedictionis describun-

tur toto Psal. 112. Potens in terra erit semẽ eius, generatio iustorum benedicetur. Opes & diuitiæ in domo eius: & iustitia eius manet in seculum. Oritur in tenebris lumẽ rectis. Bonus vir miseretur & commodat: moderatur res suas in iudicio &c. Vt autem adprobatio rectè iudicantium benedictionem comitatur per se: ita per accidens subsequuntur odia malorum, inuidia, obtrectationes. nam vt Iosephus ait: ἀμήχανον ἐν ὑπερβολαῖς φθόνον φύγῃν.

8. Cum benedictione pugnat maledictio, à qua maledicti dicuntur ij quos Scriptura appellare solet Vasa iræ Dei. Matt. 25. 41. Maledicti autem κατ' ἀφαίρεσιν τῆς ἐναντίας dicuntur ij, qui benedictione vitæ Dei & bonorum spiritualium destituuntur, & peccato mortíque æternæ obnoxij sunt. Antithesin Benedictionis & Maledictionis petant studiosi ex Leuitici cap. 26. Deuteronomij cap. 27. 28.

Sed, vt à θεωρίᾳ ad praxin & vsum accedamus, voce Dei nos ad resipiscentiam reuocari statuamus, Deo gloriam demus, simus in iis quæ Dei sunt, & superna potiùs quàm terrena quæramus. Hæc si, Deo vires & gratiam suggerente præstiterimus, benedicet studiis, consiliis & tori nostræ vi-

tæ Iesus Christus ὁ Εὐλογημένος. Matt. 23. Iam multis annis maledictionis diuinæ argumenta manifesta vidimus in illa Τετραχῆ Ecclesiæ, politiarum difficultatibus, & publicis priuatísque generis humani calamitatibus. Itaque tandem aliquando ad nos percutientem conuersi, summittamus nos sub potenti manu Dei, & demus Domino gloriam.

Postremum Haggæi Oraculum.

Versibus 21. 22.

Lectio 55. 28. Iunij. 1580.

Et fuit verbum Iehouæ secundò ad Haggai, 24. die ipsius mensis, vt diceret, Dic ad Zerubabel Ducem Iehuda, &c.

Religiosæ vestræ diligentiæ fuerit, fratres & auditores charissimi, circunstantias oraculorum diuinorum, quarum etiam hoc loco Propheta noster meminit, vnà mecum expendere. Breuiter autem de singulis agemus.

1. Auctor. Vt de fonte verorum oraculorum, & de eorundem sacrosancta auctoritate piis constaret, sese eorum auctorem esse Iehouah exercituum disertè profitetur. Deus, inquit auctor Epistolæ ad Hebræos, multis vicibus multísque modis olim locutus Patribus per Prophetas, vlti-

mis hiſce diebus locutus eſt nobis per filiũ. Heb.1.1. Eſt autem iſta συμφιλολογία illuſtre teſtimonium bonitatis & φιλανθρωπίας Dei, qui lucem habitans inacceſſam, nobis tamen expreſſo verbo & perſpicuis teſtimoniis, ſeſe & voluntatem ſuam patefacit, vt per ſui agnitionem nos deducat in vitam æternam. Ioan.17.

2. Præco. Quo autem conſilio Deus hominum miniſterio & præconio vtatur, quum ei viſum eſt ſua promulgare myſteria, docet Paulus 2. Cor. 4.6.7. Quoniam Deus qui dixit vt è tenebris ſplendeſceret lux, is eſt qui ſplenduit in cordibus noſtris ad præbendũ lumẽ cognitionis in facie Ieſu Chriſti. Habemus autem theſaurũ hunc in teſtaceis vaſculis, vt eius virtutis præſtãtia ſit Dei, & non ex nobis, &c.

3. Ij quibus oracula Iehouæ credita ſunt. Paulus prærogatiuam hanc Iudæis tribuit, præ Gentibus, quòd eis credita ſint eloquia Dei. Rom.3.2. Apparet autem quædam publicè toti populo fuiſſe propoſita, vt ſuperius oraculum de benedictionis & maledictionis cauſſis & πεμπελοις: quædam verò, quibuſdam ſeorſim annuntiata. Tale videtur fuiſſe iſtud ad Zorobabelem, cui cum multis ærumnis & difficultatibus publicè priua-

priuatímque conflictanti opus erat eximia quadam consolatione. Pollicetur autem Deus maxima bona, exhibitionem Messiæ, promulgationem Euangelij, vocationem gentium, pœnas τῶν μαχίας mundi: vt Zorobabel & alij pij, de minoribus bonis, de restitutione & conseruatione gentis & politiæ Iudaicæ, déque repressione hostium bene sibi sperandum non dubitarent.

4. Tempus. Deus, qui seruis suis præcepit, vt doctrinę demensum famulitio ipsius ἐν καιρῷ dent, vt omnia in tempore exequitur, sic etiam eadem tempestiuè denuntiat. Lucet itaque tum in reuelatione voluntatis diuinæ, tum in eiusdem executione, admiranda Dei sapientia, bonitas, & prouidentia. Vtinam ipsi quoque omni tempore vitæ nostræ in eo simus, vt eius nomen sanctificemus & volũtati eiusdem morem geramus.

Versus 22. & 23.

Ego commoturus sum cælum & terram. Et subuertam solium regnorum, ac disperdam robur regnorum gentium, subuertámque currus & ascensores eorum, & descendent equi & ascensores eorum, quisque gladio socij sui.

Commotio, Apostolo interprete, significat, τῶν σαλευομένων τὴν μετάθεσιν ὡς πεποιη-

μένων, ἵνα μείνῃ τὰ μὴ σαλευόμενα, id est, instabilium rerum, vt puta, factitiarum amotionem: vt maneāt quæ sunt stabilia. Heb. 12.27. Instabilia vocat, Tabernaculum χειροποίητον, & totam Leuiticam liturgiam, quæ abroganda erat.

Cælum & Terram, ἀλληγορικῶς, Theod. Beza sic accepisse iudicauit, vt cælorū quidem concussio, tum Gentium idololatrias, tum Iudaicas ceremonias abrogādas: terræ verò commotio, hominum ad participationem sortis sanctorum in lumine vocatorum, innouationem significet.

Propositio hæc est, Regno Christi inualescente & obtinente, totus ille Leuiticæ τῆς λειτουργίας cultus, nedum Gentium θρησκεία abolebitur, & imperia & regna mundi suas periodos habitura sunt. Inde liquet τὰ πεποιημένα omnia esse instabilia, solius autem Christi regnum ἀσάλευτον esse, id est, concutiendo aboleri non posse, eóque nomine illud solum nobis assumendum, & ante omnia quærendum. Hebr. 12.28. Matt. 6.33.

Aphorismi de Commotione cæli & terræ.

1. Solus Deus commouere potest creaturas rationales & alias.

2. Com-

2. Commotio hæc duos habet fines μετάθεσιν rerum factitiarum, & confirmationē ἧς μὴ σαλευομένων.

3. Μετάθεσις deprehendi potest nō solùm in inhibitione idololatriæ Gentiū, sed etiā in abrogatione Legalium ceremoniarum, quas oportuit velut pædagogiæ progymnasmata, seruire infantiæ Ecclesiæ Israelis.

4. Confirmatio in regni Christi & cultus rationalis stabilitate elucet.

5. Seruiunt itaque hæc commotio vocationi Gentium, & abdicationi pseudoisraelitarum.

6. Destinatum commotionis est, gloriosa libertas filiorum Dei, cælum nouum & terra noua, & creaturarum à seruitute corruptionis libertas. Isa. 66.22. Rom. 8.20.21. 22. Omnia enim perenni regno Christi seruire æquum est.

Lectio 56. 29. Iunij. 1580.

Versus 23.

Et subuertam solium regnorum, ac dispердam robur regnorum gentium, subuertámque currus & ascensores eorum, & descendent equi & ascensores eorum, quisque gladio socij sui.

Dictum ἀλληγορικόν, Dan. 2.44.45.

Porrò tempore Regum istorum, suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum

non corrumpetur,& regnum istud populo alteri non relinquetur:comminuet & conficiet omnia regna ista:& ipsum stabit in æternum. Quemadmodum vidisti quòd de monte abscissus est lapis, qui manibus abscissus non est, & comminuit ferrum, æs, testam, argentum & aurum &c.

Regnorum Mundi periodôv cauſæ.

Certum est etiam summa Mundi huius imperia suas habere periodos:solius autem Iesu Christi regnum esse perpetuum. Iuxta dictum: Regnabit super domum Iacob in æternum, & Regni eius non erit finis. Luc.1.33.

Τὸ διότι.

1. Efficiens princeps Deus est. Hic enim vt autor est ciuilis & œconomicæ τῆς διατάξιας, sic forte facinus facit brachio suo: dissipat superbos cogitatione cordis ipsorum: detrahit potentes è thronis, & effert humiles.Luc.1.51.52. Item, Deus mutat tempora & ætates: aufert Reges & constituit Reges: dat sapientiam sapientibus,& scientiam scientibus intelligentiam. Dan. 2. 21.

2. Σύνεργοι sunt auctores motuum & bellorum in genere humano. Vt hoc loco dicitur: Quisque gladio socij sui, subaudi cõficietur. Eius rei exemplum habemus Iud.

9.23.

9.23. Immisitque Deus Spiritum malum inter Abimelech & viros Sechem, prævaricatíque sunt viri Seché in Abimelech. Ergóne, dicet aliquis, culpæ expertes sunt auctores intestinorum motuum generis humani, quum sint instrumenta iræ & vindictæ diuinæ? Respondeo, Culpãdos esse quũ nequaquam studio exequendi Dei iudicia, ista faciant, sed vt cæcis suis perturbationibus morem gerãt. At enim (inquies) quum Deo semper bene operanti cooperentur, bene operari, ac proinde extra noxam esse videntur. Respondeo, Deum quidem semper bene agere: instrumenta autem vitiosa peccare, quum in eodem opere aliud agat Deus, summè bonus & sapiens, aliud mundus & eius mancipia.

3. Modus. Quum ciuilis εὐταξία ordine & gloria primùm, deinde præsidijs καὶ τῆς ἀδικίας constet, his sublatis, necesse est cõcidere politias. Ergo si quando Politias subuertere & mutare Deo visum est, primùm effundit contemtum in Principes: & facit eos errare in solitudine in qua non est via. Psal. 107.40. Atque hoc est subuertere solia regnorum: adempta Principibus viris auctoritate & gratia, de qua dicitur apud Diodorũ Siculum: αἱ τῶν ἡγεμόνων ὑπεροχαὶ τη-

ροῦνται μὲν εὐνοίᾳ, καταλύονται δὲ μίσει τῶν ὑποτεταγμένων. Deinde, & neruos præſcindit, robore exercituum ademto, de quo dicitur: Diſperdam robur regnorum gentium, ſubuertámque currus & aſcenſores eorum, & deſcendent equi & aſcenſores eorum. Hoc ſanè modo Darium vltimum μονάρχην Perſarum, tribus prælijs ab Alexandro victum, regno, robore præſidióque exercituum & vita ſpoliauit Dominus.

4. Finales cauſſæ ſunt, 1. μετάθεσις regnorum rerúmque huius mundi, de quibus dicitur: παράγει τὸ σχῆμα τοῦ κόσμου τούτου. 1. Cor. 7. 31. 2. Pœna τῆς θεομαχίας, de qua Pſal. 2. 3. Regni Chriſti perennis gloria. Etſi enim militãte adhuc Eccleſia, Chriſtus in medio inimicorũ ſuorum regnat: tamen Satanam cum ſuis omnibus neceſſe eſt conteri ſub pedibus eius.

Obiectio. Qui regnum ſuũ alteri tradet, non regnabit in æternum. Chriſtus tradet regnum Deo ac Patri, quum aboleuerit omne imperium, & omnem potentiam ac virtutem &c. 1. Cor. 15. 25. Ergo non erit ſempiternum Chriſti regnum.

Reſpondeo ad Minorem, in qua eſt ὁμωνυμία in nomine Regni, quod ad Sacerdotij & Mediatoris munus, non ad Regiam

giam auctoritatem referri debet: & ἀμφιβολογία in phrasi Tradere regnum, quæ hoc non significat Abdicare & deponere regiã personam & dignitatem: sed Adprobare Mediationis & intercessionis officium, quo Christus summa fide se defunctum esse, αὐτῷ τῷ ἔργῳ demonstrabit.

Lectio 57. Augusti. 1580.

Versus 24.

In die illa, dicit Iehouah exercituum, tollam te Zerubabel, fili Sealthiel, serue mi, dixit Iehouah, & ponam te tanquam signaculum: quia te elegi, dicit Iehouah exercituum.

Docendi causſa in hoc oraculo, quod ordine, non autem præstãtia mysterij, postremum est, tria ordinè tractabimus, 1. Quid sit deferẽdum huic oraculo. 2. Quid de Typo & historia eius statuendum sit. 3. Quænam sit Oraculi veritas.

De primo capite Συλλογισικῶς *agam.*

Oracula, quæ citra omnem cõtrouersiã ab auctore Deo profecta sunt, sacrosancta haberi debẽt. Est .n. Deus ἀψευδής. Tit. 1. 2. Porrò eius veritas, fidei nostræ basis est: quo nomine Paulus fidem κατ' ἐυσέβειαν, veritatis agnitionẽ, ἐπίγνωσιν ἀληθείας, vocat. 1. Tim. 2. 4. Sed hoc oraculũ à Iehouah ortũ duxit. Ac Propheta noster ter in eodẽ hoc

versiculo, Iehouam exercituũ illud edixisse affirmat. Obseruabimus hoc loco.

1. Τὸν συναίδιον τῷ παιδὶ λόγον, fontem esse diuinorum oraculorũ, quæ Deus Patribus promulgari voluit.

2. Sacras conciones, quæ ὕπλυσιν oraculorum Dei complectuntur, nulla re magis commendari quàm Diuini nominis sanctificatione.

Concludo itaque sacrosanctam esse oraculi istius auctoritatem. Huius consideratio seruit nostræ tum institutioni, quia si sapimus, non nisi Deo probata discimus: tum etiam consolationi: non enim tranquilla potest esse conscientia, nisi certò persuasa sit de gratia Dei.

De secundo, videlicet de Typo & eius Historia.

Duo in hac parte obseruanda sunt. προσωπογραφία καὶ ἐπαγγελία. Personæ descriptio succincta, & promissio dulcissima, qua mœstum Zerubabelis animum Deus exhilarauit. Prosopographiæ tria membra sunt, Nomen, Parens, Adiunctum: de quibus ordinè viderimus.

1. Nomen, Zerubabel. de quo antea sæpius dictum nobis est. Hoc illud notãdum, Deum aliàs nominatim totam Ecclesiam electorum

electorum suorum, & quidē benignissimè, compellare vt Esa.43.1. Ne timeas, quia redemi te: vocaui nomen tuum, meus es tu: subaudi, populus: aliàs singulos fideles, Ioā. 10.3. Oues vocem eius audiunt, & suas oues vocat nominatim, & educit eas. Audiamus igitur Christi Iesu in nobis per Spiritum sāctum loquentis vocem, & eam puro excipiamus corde, nobísque testimonium de gratia Dei erga nos, ex animo gratulemur.

2. Parens, Sealthiel. Nec quidem de isto nunc dicemus, cuius historia nemini sacrarum literarum verè studioso ignota esse potest. Istud potiùs monere libet, quod Apostolus docuit, Hebr. 11.9. Si corporum nostrorum patres castigatores habuimus, ac reueriti sumus: ánnon multò magis subijciemur Patri Spirituum, & viuemus? Nam illi ad paucos dies, prout illis videbatur, nos castigabant: hic autem ad commodum nostrum: ad hoc vt participes simus sanctimoniæ ipsius. Hunc itaque cælestem Patrē, toto pectore diligamus & reuereamur: ei promtè & sincerè obediamus: & quum ipse thesaurus noster sit, eius nomen sanctificemus.

3. Adiunctum, Seruemi. Magistratus serui Dei sunt. 1. Quia deum Dominum superiorem habent: qui est beatus & solus

Princeps, Rex regum, & Dominus dominorum. 1. Tim. 6. 15. Itaque grauissimè peccant Principes, quum non meminerunt se esse homines, Psal. 9. 12. sed se ἰσοθέους esse putãt. Vt de Tyri Rege dicitur Ezech. 28. 2. Eo quòd exaltatũ est cor tuũ, dixistique Deus ego sũ, in throno Dei sedi, in medio mariũ: quum tu homo sis, & non Deus: & posuisti cor tuum tanquam cor Dei &c. 2. Quia eius consilio seruire debent. Act. 13. 36. Nam Dauid quum sua ætate inseruisset consilio Dei, dormiuit. Psal. 2. 11. Seruite Iehouæ in timore, & exultate in tremore. Proinde si Deum & eius mãdata respicias, Principes nec ἀνυπεύθυνοι, nec legibus soluti sunt.

Meminerimus autem, nos quoque, per gratiam eius qui nos vocauit ad societatem Sanctorum, Dei seruos factos, & quidem præcipuo nostro bono, quum nobis Domino tali opus esset, qui sub vmbra alarũ suarũ nos foueret & protegeret, & Spiritu suo sãcto duceret in omnem veritatem. Eum itaque reuereamur, & nostros συνδούλους diligamus, & prudenter agentes in via integra, talentum diuinitus nobis datum probè collocemus, vt aliquando rationem negotiationis & ministerij domino reddentes, audiamus amabilem illam vocem: Euge Ser

uę

ue bone, fidelis fuisti super pauca, ideo constitueris super multa. Ingredere in gaudiũ Demini. Matt. 25.

Promissio, quæ erat tristitiæ ἀντιφάρμακον. Lectio 58. 16. Aug. Greg. Facilis erit consolatio si inter flagella, quæ patimur, quæ fecimus delicta, ad memoriam revocemus.

Quum Zerubabel ob temporum difficultatẽ in magno mœrore versaretur, erexit eum Deus hac promissione: Tollam te: Ponam te tanquam signaculum: quia te elegi, dicit Iehouah & Promissionem hanc ἀιτιολογικῶς perpendemus.

1. Forma beneficij est Politicum ἀξίωμα, quo gubernatores excellere oportet, etiam inuitis æmulis, quorum multos habebat Zerubabel. Tollam te, id est, eueham & exaltabo te. Idem de Dauide dicitur, Psal. 78. 70. Elegit Dauid seruum suum, & tulit eum de septis pecudũ. E caula enim in aulam ad regiam functionem vocatus est Dauid. 1. Sam. 16. Eris mihi σφραγὶς, signaculũ, i. carissimus & in summo pretio, quẽadmodum gemmæ & annuli signatorij esse solent. Rata quinetiam erunt quæcunque statues, quemadmodum & instrumenta ritè obsignata. Alia metaphora eandem auctoritatem Iesaias propheta, de Eliacimo in Sobnæ locum substituendo loquens, designauit. cap. 22. 22. Et ponam clauẽ domus Dauid super humerum eius: & aperiet nec

erit qui claudat: & claudet, nec erit qui aperiat.

Si de iure aureorum annulorum aliquid scitu dignum cognoscere libet, consulite Plinij Hist. Nat. lib. xxxiij. Cap. 1. Nobis hoc loco satis fuerit discere, Magistratum sacrum & inuiolabilē nobis esse debere. Noti sunt Philemonis versus:

Δῆλοι βασιλέων εἰσὶν ὁ βασιλεὺς θεῶν.
ὁ θεὸς ἀνάγκης· πάντα δ' ἂν σκοπῇς ὅλως
ἑτέρων πέφυκεν, ἢ τὸ νικᾶν δὲ μείζονα,
τοῖς ἀνάγκη ταῦτα δ' ἐλεύθειν ἀεί.

Nos verò, vt vnum Deum vniuersorum Dominum, sic eundem liberrimum & nequaquam Stoico fato obnoxium agnoscimus, & spiritu colimus.

2. Efficiens. Iehouah ipse efferet in tantam dignitatem seruum suum Zerubabelē. Thesis. Deus vt superbos Principes ignominia punit: sic etiam humiles, gloria & honore coronat. Psal. 107. 40. Effundit cōtemtū in Principes, & errare facit eos in solitudine, in qua non est via. Psal. 84. 12. Quia sol & scutum est nobis Iehouah Deus: gloriam & gratiam dat Iehouah, nec prohibet bonum ambulantibus perfectè. Quinq; beneficia θεόπεμπτα in hoc quanquam breui versu celebrantur. 1. Donum intelligentiæ, quo

Sol

sol iustitiæ Christ⁹ Iesus illuminat nostras mentes. Iuxta illud, Ego sum lux mundi, qui me sequitur non ambulat in tenebris: sed habebit lumen vitæ. Ioan. 8. 12. 2. Protectio diuina, inter media pericula. Psal. 5. 13. Quoniam tu benedices iusto Iehouah: vt scuto bona voluntate circundabis eũ. Psal. 19. 3. Iehouah scutum meum, & cornu salutis meæ, eleuatio mea. 3. Auctoritas, quam Propheta vocat gloriam. 4. Gratia, seu beneuolentia & studium subditorum erga superiores. 5. Genus omne bonorum: & gratiæ priuatiuæ & positiuæ, vt quidam loquuntur.

3. προηγμένη, Electio ad officium politici gubernatoris. Te elegi, dicit Iehouah. Ita de electione ad munus Apostolicum dicitur: Nónne ego vos duodecim elegi, sed vnus ex vobis est Diabolus? Ioan. 6. 70.

Discimus autem hoc loco, non esse nostrum citra diuinam electionem, vllã functionem capescere. Iuxta illud: Homo non potest accipere quicquam, nisi fuerit ei datum è cælo. Ioan. 3. 27. De vocatione autẽ, ex donis quæ ad λειτουργίαν ritè obeundam requiruntur, coniecturã facere conuenit.

De tertio, videlicet de veritate.

Typi, de quo breuiter egimus, veritatẽ nemo rectiùs exposuit, quàm Paulus Apo-

ſtolus,cuius hæc verba ſunt.

5. Enimuerò is ſit affectus in vobis qui fuit in Chriſto Ieſu:

6. Qui quum eſſet in forma Dei,non duxit rapinam parem eſſe cum Deo.

7. Sed ipſe ſe inaniuit forma ſerui ſumpta,ſimilis hominibus factus, & habitu cõpertus vt homo:

8. Ipſe ſe ſummiſit, factus obediens vſque ad mortem,mortem autem crucis.

9. Quapropter etiam Deus ipſum in ſummam extulit ſublimitatem, ac donauit ei nomen quod eſt ſupra omne nomen:

10. Vt ad nomen Ieſu omne genu ſe flectat, cæleſtium ac terreſtrium & ſubterraneorum:

11. Omníſque lingua confiteatur, quòd Dominus ſit Ieſus Chriſtus, ad gloriã Dei Patris.Philipp.2.

Similitudinis hæc ratio eſt,vt hac ætate Zerubabelem ſeruum ſuum fidelem Deus, & mirabiliter proteget & Samaritanis aliíſque hoſtibus inuitis, maiorem in modũ exaltabit:ita olim Meſsiam, vbi is ſe humiliauerit,obediens Patri factus vſque ad crucis mortem,in ſummam ſublimitatem euehet,&c. Videmus vt eodem oraculo non modò ciuilium & aliorum bonorum ſpem ſeruo ſuo Zerobabeli fecerit:ſed etiã Meſ-

ſiam

siam exhibendum, & de plenitudine eius Ecclesiam totam, locupletãdam, Dominus prænuntiauerit

Discimus non esse nostra τῇ ὀλιγοπιστίᾳ bonitatem & virtutem Dei metiendam, sed firmiter nobis statuendum, multò plura & maiora Deum nobis præstare & posse & (si ipsius gloriæ & nostrę salutis interfit) velle, quàm ipsi pro fidei nostræ imbecillitate nobis polliceri possimus.

FINIS.

INDEX, EX QVO HARVM Prælectionum quanta sit vtilitas apparet. Indicat autem prior numerus paginam, alter lineam.

A

A'διαφόρων rectus ordo 84.26
Adoratio in spiritu & veritate habuit locum etiam in vetere templo 252.12
Afflictionũ duo genera 253.24
Alphõsus aragoniæ rex quaterdecies sacra Biblia perlegit. 244.2
locus Ambrosii lib.off.2.cap.28. 195.20
Analogia fidei, veræ interpretationis scripturænorma 201.16
Angeli quomodo, & quare corpora humana nonnunquam assumpserint 114.10
angeli cur dicti aggæus, zacharias, & Ioannes baptista. ib.
angelus officii nomen, non naturæ. 114.5
Apollinaris error. 114.22
Ascẽsione corpus & anima Christi in cælum vnde sublata. 175.25
locus Augustini. 231.4

B

Baptisma quando vnum & duplex. 209.15.& deinceps
baptismus non inferior cœna domini. 195.21
temporales Benedictiones israelitis arrhabones rerum spiritualium. 248.16
benedictionum duplex genus. 257.28. & deinceps

C

Cæremoniæ veteres quatenus deo placuerint vel displicuerint. 206.13.& deinceps
cęremonię à deo institutę quomodo impuræ 241.21
Caro christi non est ἀόρατος. 176.1
Κατάλειψις dei omnibus intelligentia præditis communis. 42.5
Κενοφωνίαι vitandæ. 77.19
sanctorum Censura inter se cur & quomodo exercenda. 245.17.& deinceps
Christus aliter incarnatus quàm angeli. 114.17
christus propheta κατ' ἐξοχήν. 10.19
christus aliter adest omnib° creaturis quàm Ecclesiæ suæ. 174.9.& deinceps
christus non diuiditur, etiamsi ca-

caro eius non dicatur vbiq; esse. 124.15
totus christus & totum christi quomodo differant. 121.22, & 176.7
christus qua ratione aduenturus dicebatur. 175. 18
caro christi an omnia impleat. 81.24
christi caro actu primo nunc à nobis abest. 176.2
humanitas christi non est vbique actu primo. 122.5
humanitas christi est vbique actu secundo 223.2
christi eminentia. 26.5
christum in carnem venisse, quid. 177.25. & deinceps.
Circuncisio externa & interna. 208.20. & deinceps.
signa & res significatæ in Cœna domini. 210.17.& deinceps
ingenuam esse fidei Confessionem oportet. 227.1
ponere cor super aliquid. 57. 24, & 244.28
cordis appellatio multiplex in scripturis quanti sit vsus ac momenti. 58.15.& deinceps.
corde quærere quid? 107. 12
corpus christi aliàs propriè, aliàs metonymicè dicitur. 213.21
corpus christi vbicunque est ὀπτωσθῶς, cerni & palpari potest. 176.5
Cultus profanorum hominum semper impurus. 226.24

D

Darius Histaspis quoto anno mundi regnarit. 17.26. quantus princeps 18.5. In quo magnopere elaborarit. 18.12
Deus cur requirat quod per nos non possumus. 154. 24
deus quot modis homines alloquutus. 39.9,& 104 22
deus ipse non est adstrictus ministerio externo. 205. 14
deus φορος. 64.13
deus quo sensu dicatur in templis non habitare. 79. 25
deus tempestatum moderator. 92.13
dei præscientia. 30.1
iudicia Dei in œconomicis & politicis obseruanda. 71.& 86.22
dei ficta vt & dicta attentissimè considerada. 61.10,& 88.18

verbi dei variæ appellationes. 35.25
verbum dei efficax promulgatum per fidem. 95.25.& deinceps.
dei nomen modo essentialiter, modo personaliter sumitur. 29.16,& 158.8
quo sensu verbi dei vis dicatur à fide pendere. 102.2
verbi dei efficacia vnde. 9.55, & 105.16
ira Dei. 30.12
dei nomina diuersa. 156.20
dei cultus basis rerumpubl. 16.3
dei iudicium. 30.5
mandato dei debet cedere causarum mediarum consideratio. 153.3
Demosthenis locus. 79.9
Demonstrationis vsus. 231.20
de quibus Disputandum in Ecclesia. 232.29.& deinceps
Docentes in primis religiosè & prudenter arguendi errorũ. 217.23
Dociles erudiendi, refractariis os obturandum. 232.7

E

sine christo nulla est vera Ecclesia. 175.4
in censura de ecclesia quomodo aberrent homines. 150.21
Εὐλογία. 230.27
Εὐταξίας & ἀταξίας exempla summè obseruanda. 84.12. & deinceps
Ego aliàs de tota persona dicitur, aliàs ad humanitatem, aliàs denique ad deitatem christi restringitur. 126.13. & deinceps
Electi nunquam deseruntur. 199.22.& deinceps
initium Emendationis faciendũ à capitibus. 25.5,& 31.20
Enthusiastæ. 97.21
in Episcopo quæ præcipuè requirantur. 219.6
Ἔπσνμι dei temporaria fide præditis concessa. 42.6
Euãgelium docet θεραπευτικήν. 74.7
euangelium quomodo omnia commouit. 171.25.& deinceps,& 263
doctrina euangelii via cur dicta. 66.1
euangelii corruptio duplex. 73.25
exempla parobolica. 225.1
exempla παραδειγματικά. 225.10
sese quomodo vnusquisque Explorare teneatur. 63.2.& deinceps vsque ad 68. & 24.7.12

F

Facta cum sermone, sermo cũ affectu

affectu cordis: hæc autem omnia cum deo consentire debent. 143.22
Fidei præstantia. 109.13
fidei ὑπόστασις & in vniuersali & in singulari certissima. 109.20
fidei & confessionis diuortium non est introducendum. 143.16
fideles mutui ἐρμηνεῖς. 64.26
fideles soli puri. 226.21,& 235.1
Fœdus cur dicatur pactum salutis. 159.9
Forma serui quid. 180.18
forma dei quid. 180.7

G

locus insignis Galeni. 214.11
Germaniæ turbatores. 197.15
Gloria christi non ademit proprietates naturæ humanæ. 180.23
gloriæ carnis & gloriæ spiritus discrimen. 185.1.& deinceps

H

Herodoti egregia sententia. 52.9
locus Hieronymi. 218.26
locus hieronymi. 137.27
Historia profana minimè negligenda. 18.19
Homo cur conditus. 15.23
via hominum duplex. 65.16
Humanitas & hominis filius differunt. 124.9

I

Iehosadach. 23.13
Iehosua quis. 23.6. quot annos pontificatu functus. 23.20
iehoua quid. 29.9,& 156.26. ac deinceps
iehoua quomodo pater τοῦ λόγου. 19.20
ἰδιωμάτων κοινωνία. 123.8
Impœnitentes cur nõ excusandi 254.11.& deinceps
Impuri sunt omnes homines. 237.6
impuritas duplex. 235.11
impuritatis origo. 237.14
Incredulitas quomodo impediat infideles, quomin° verbi interni & rei sacramẽtorum participes fiant. 102.23
incredulitas quia voluntaria idcirco imputanda infidelibus. 103.26
incredulitatis voces vitandæ. 33.4
incredulitatis argumentum. 33.4

Inebriandi verbum μέθυν. 56.4
Infideles non verbi neque Sacramentorum veritatem percipiunt. 101.20
Intelligentiæ nomen modò generaliùs, modò angustiùs accipitur. 220.27
Ionæ prædictio cur non euenerit. 21.16
Ioniæ quædam sacræ. 51.28
Ἰσάγγελοι quomodo futuri simus. 115.5.& 180.26
Iusti Ionæ iunioris distichon. 66.26

L

Laconismus sacer. 27.14
Lamiæ cur capitaliter puniendæ. 93.25
lamiæ an possint tempestates excitare. 93.16
Legatorum dei munus per partes descriptum. 116.4.& deinceps.
Leuitica leiturgia operosior, at minùs excellens, quàm nostra. 150.5
Lex docet παθολογίαν. 74.6
Libertas vera. 22.9
Liturgia sacra constat signis ἀισθητοῖς, & rebus νοητοῖς. 206.2
λόγος σοφίας, & λόγος γνώσεως, quomodo differant. 219.22

M

Magistratus seruus Dei. 271.27
Maledictio, pœna violatæ legis Dei. 76.3
maledictionum species singulariter notandæ. 248.25
Malum pœnæ. 66.6
Manducatio physica spiritualis, sacramentalis quæ. 213.22
Marcionis error. 114.20
locus Macarij Ægyptij 211.20
Messias cur desiderium dicatur. 181.2.& 26. Cur desiderium omnium gentium. 183.1.& deinceps.
Mediatoris persona triplex officium complectitur. 175.12
Μίμησις. 32.18.
Ministerium externum Spiritui sancto subordinatum 105,21. & 202.1.& 204,3,& deinceps.
ministerij externi causa & necessitas. 42.28,& deinceps & 205.18
ministerij σύνεργοι 102.15.
Ministrorū duplex consideratio. 23.10.& 204,26
ministrorum officium in consolando. 112.13
ministris verbi nec plus nec minus quàm par sit, tribuendum. 40.22.& 47.13.& 204,20.
ministris quid præcipuè agendum. 36.23
ministros solus Deus idoneos efficit. 20.5
ministros vnde exordiri & vbi desinere oporteat. 46.4.
ministros Ecclesiæ sola verbi & sacramentorum liturgia decet.

cet. 24.3
Modestia virtus Timori Dei cognata 111.27
Morum emendatio à Deo pendet. 24.10
Mundi stupor. 28.16
Mundiciei causæ. 237.26. fines. 238.8
Mysteria Dei quæ, & cur sic vocata. 202.19

N

Naturæ rerum ordo multipliciter deo seruit. 89.5. & deinceps.
locus Nicenæ synodi. 212.22
Nobilitas vera. 22.20

O

Obedientiæ studium consequitur fidem 110.2
Occasiones à deo oblatæ arripiendæ. 79.3
Omnipræsentia & ab æterno esse necessario cohærent. 179. 11. & deinceps
omnis potestas & omnipotentia differunt 124.26
Omnipræsentiæ carnis christi dogma refutatum. 178. 9. & deinceps
Operis operati figmentum. 100. 27
Opera malorum Deus, ipsis insciis, in contrarium finem promouet. 130.9
opera dei duplicia. 65.8
opera dei ἀνθρωποδόκητα plurima. 196.12
opera manuum quæ. 248. quo modo sanctificentur. 241.9
opera dei cuncta sunt in mediis contrariis. 129.22
operum bonorum sumus duntaxat instrumentales causæ, quanuis non tãtum passiuæ. 129.14
Opportunitas quę vera, quę falsa 47.28. & deinceps
Oralis manducatio corporis refutata. 211.4. & deinceps.
Ordo diuinus in omnibus obseruandus. 84.15
Politicus, ecclesiasticus & œconomicus Ordo σύζυγοι. 25.22. & 31.25
sua cuique Ordini propria functio attributa ad communẽ finem. 26.5

P

Pacis nomen pro spiritualibus donis. 198.6
Patres quales vmbras habuerint 161.14
patrum scriptis quantum tribuendum. 76.9
Personæ trinitatis in nob. docendis quomodo distinctè agant. 99.15
Philosophiæ testimonia quatenus audienda. 76.8
locus Philemonis comici. 274.9

Platonis locus. 19.21.& 33.20.& 35.23
Πλεονεξία quantopere vitanda. 83.14
Πληροφορία electorum propria. 42.8.& 109.25
Pœnæ publ.& priuatæ sunt diuinæ conciones. 30.21
Præsentia gratiæ à præsentia repletiua in deo distinguenda. 120.124.& deinceps
Principes non sunt αὐτοσθυγοι. 272.13
politica quoque consilia quædã gubernarunt Prophetæ. 13.10
Prophetæ,os Dei. 14.5,& 31.9
Prophetæ martyres christi. 13.5
Prophetæ alii veteres, alii noui. 12.6
poetæ profani dicti Prophetæ. 9.20
prophetæ cur Videntes appellati. 8.21
prophetæ qui & cur dicti.9.9
prophetæ pro prophetarũ scriptis. 10.7
prophetarum proprium. 12.23
prophetarum silentium, grauis iræ dei signum.14.7.& 42.12
prophetarum quatuor ordines. 11.12
prophetarum dicta quomodo ad nos pertineant.117.27
Prophetarum quanta & vnde autoritas. 19.10.& 24.25
prophetarum vocatio verbo dei quomodo denuntiata.20. 22
ꝓphetarũ præcipuꝰ scopꝰ. 13.20
Prophetica vocatio. 12.16.& 14. 18
propheticæ prædicationes cur interdum non eueniant. 21.12
Pseudoprophetæ etiã dicti Prophetæ. 9.28
pseudoprophetarum nota. 21.1

R

Rationalum omnium non vna est natura. 114.25
Regnorum mundi periodorum causa efficiens, συνεργοὶ,modus,finales causæ 296.& deinceps.
Religionis instauratio à docentium emendatione inchoanda.217.18
Res cœlestes non nisi spiritualiter percipiuntur. 212.9
Τὸ ῥητὸν,& διάνοια. 230.27

S

Sacerdotes Iudæorum quædam etiam politica administrabant. 23.28
sacerdotes non sibi, sed Ecclesiæ seruiunt. 23.22
Sacra quibusuis aliis sine exceptione anteponenda. 17.3.& 52.20.& deinceps vsque ad 57.& 216.25

sacræ

sacræ res duplices. 84.24
Sacramenta nó sunt à verbo separanda 205.11
sacramentum absque verbo est εἴδωλον. 101.5
sacramenta quomodo sine fine inutilia. 100.13
sacraméta vetera & noua quomodo eadem & diuersa. 161.6
sacramenta cuiusmodi signa sint, & quarum rerum. 207. 12. & deinceps.
sacramentorum res inuisibiles. 207.15
Salutis pactum cur gratiæ fœdus dictum. 159.12
Sanctificatio populi Dei non est posita in mundi elementis. 226.16
Sacramentorum ἀταξία & εὐταξία. 85.9
sacramentorũ res significatæ nõ solum fructu sed etiam substantia definiendæ. 85.26
sacramentorum signa non viuificant, sed res significatæ. ib.
sacramentorum veritas non pẽdet ab hominum fide. 100.18
Sapientiæ & scientiæ distinctio apud Augustinum. 220.15
Scholastica Theologia 220.6
Scientia salutis genus. 220.27. differentia. 221.7. propria. 221.16. adiunctum. 221. 22. αἴτιον κύριον 222.14. materia. 222 22. forma. 222.28. fines. 223.12
Scientia ψευδώνυμος quibus cõstet. 220.5
scientia diuina, autore etiam Aristotele, nobilissima 171.8
Seruorum dei appellatio generalis. 10.23
Spiritus sanctus quomodo nos veros verbi auditores efficiat. 108.23
spiritus sanctus à patre & filio procedit. 163.10. & 165.11
spiritus sancti hypostasis asseritur. 164.24. & deinceps.
spiritus sanctus ὁδηγὸς sanctorũ. 64.18
spiritus S. dona generalia & specialia. 166.16
spiritus nomen creatori tribuitur multiplici respectu. 164.1
spiritus nomen aliàs creatori, aliàs creaturis tribuitur. 163.23
spiritus roboris. 153.24. & 154.18
spiritus non significat qualitatem in deo. 164 16
Συμβιβάζειν quid. 229.23

T

Tempestatum auctor propriè deus 250.19. & deinceps.
Templum cordis & eius sacrificia. 81.27. & deinceps.
tẽpli hierosolymitani structurã cur tantopere vrserint prophetæ. 35.7. & deinceps. & 81. 20
homo quomodo templum dei. 133.11. & deinceps. & 188.14

ecclesiæ Templi structuræ descriptio accurata. 134.13.& deinceps
templi hierosolymitani vtriusque quis vsus. 132.2
templa an liceat sanctis defunctis extruere. 137.21
templorum vera ornamenta. 186.20
Tempus visitationis. 199.3
obseruatio necessaria Temporum. 18.28,& 138.20.& deinceps
Terræ sanctæ situs. 87.8
Testamentum quomodo duplex dispensatione. 160.12
testamentum vnicum, quod ad substantiam attinet. 159.20
testamenti nomen cur gratiæ fœderi tribuatur. 159.7
Theologiæ studiosorum quotidianæ preces. 20.12
theologiæ candidatos quomodo comparatos esse oporteat 73.10.& deinceps
theologica διαίρεσις & σύνθεσις nunquam seiungendæ. 16.25
theologici studii finis. 74.23. & 78.5
theologici studii auctor, materia forma, fines. 243.12.& deinceps
Timori dei quæ opposita. 112.1
timor dei quid & quotuplex. 110.19,& 111.21
Timor quis non repugnet fidei 111.10
timoris dei causa efficiens, forma, finis & effectus. 111.16

V

Vasorum templi veteris quis vsus fuerit. 190.1
vasorum in templis Christianorum vsus & abusus. 190.2.& deinceps.
Vbique esse non est proprietas specifica hypostaticæ vnionis. 124.15
Vbiquepræsentia refutata 178. 21
Vbiquistarum argumenta refutata. 84.24
verbum dei quomodo Ecclesiæ, quomodo ministris commissum. 40.6
verbum internum & verbum externum quomodo dicantur differre. 107.1.21 207.20 & deinceps
auditores verbi multiplices. 106. 17.& 107.20.& 108.4.& deinc.
verbo dei quí fiat vt nó omnes credant. 102.23.& deinceps
Via antiqua quomodo accipiẽda 65.24
Vis maior. 252.12
Vitæ finis imprimis spectandus. 67.12
Vocatio functioni præeat oportet. 274.20
vocationis genus vnde intelligatur. 275.25
Voluntatis dei absconditæ & patefactæ

tefactæ discrimen. 38.10
voluntas Dei sancta toti populo dei declaranda. 141.20.& 145.22
Vox quomodo Deo tribuatur. 104.9
Vredo quid. 252.9

Z

Zorobabel quis, cur sic dictus. 22.7.eius munus & anni vitæ. 22.22

LOCI ALIQVOT SCRIPTVRÆ ab authore explicati

Locus Deut. 10.16.209.3
locus Iob. 18.516.181.15.
locus Es. 40.2.
locus Eccles. 9.2.236.4
Matthæi locus ex cap. 28.Ego sum vobiscum, ex icatus. 121.21
Lucæ locus expensus. 20.36.115.1
locus Luc. 10.23.181.2
Ioannis locus ex 3.13,Filius hominis est in cœlo. 223.8
locus Ioh. 4.21.108.23
locus Ioh. 4.21.151.22
locus Act. 17.24.132.2.3
locus 1.Cor. 1.17.205.21
locus 1.Cor.15.25.268.20
locus Eph. 3.5.221.4
locus Ephes. 4.5.209.25
locus Eph. 4.10.186.9
locus Philip. 2.6.180.7
locus Heb. 10.1.16
locus Hebr.12.25.167.2.& deinceps.
locus Apocal. 21.22.136.18



β.20
90

ALVENSLEBEN
U
201

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-119201541511222-216810469-10/fragment/page=0323



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-119201541511222-216810469-10/fragment/page=0324



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-129201941251222-216810469-10/fragment/page=0325



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-119201541511222-216810469-10/fragment/page=0326

HAGGAEVS PROPHETA.

IN QVEM ACCESSIT LU-culentissimus Commentarius ex publicis D. Ioannis Iacobi Grynæi, in Academia Basilienſi Theologiæ professoris, prælectionibus collectus, & nunc primùm ab eodem in lucem editus.

Additus est Index, ex quo harum prælectionum quanta sit vtilitas, apparet.

U 201



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-119201541511222-216810469-10/fragment/page=0327